BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 C
37

44.3.10

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

44.3.13.

44
f
68

380

Jus Collegij Varsi Comissi:

BREVIS ET PER-
ſpicua totius
ETHICAE,
SEV DE MORIBVS
Philoſophiæ deſcri-
ptio:

Diligenter & ordine perfacili explica-
ta, à CORNELIO VALERIO
Vltraiectino. Cui ad-
iecimus

SEBASTIANI
FOXII MORZILLI HI-
ſpalenſis, Ethicæ Philoſophiæ
Compendium, ex Platone, Ari-
ſtotele, aliijſq; opt. quibuſq;
autoribus colle-
ctum.

*Vnà cum locuplete Rerum & uerborum
in utroq; memorabilium*
INDICE.

SOC. IESV BIBL. SEC. COLL. ROM.
IHS
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BASILEAE, PER IOAN-
nem Oporinum.

12-34-C-37

IOANNES OPORINUS Lectori ſtudioſo S.

FACTVS eram ante mēſes aliquot, ſtudioſe Lector, Doctiſsimi uiri, CORNELII VALERII Vltraiectini ETHICA, ſiue breuem & perſpicuam totius de Moribus Philoſophiæ deſcriptionem: quam nobiſcum quidam ex illius diſcipulis, quibus hæc aliquando dictauerat, communicarūt, cùm hac in Italiam proficiſcerentur. Hoc opus cùm poſtea doctis quibuſdam uiris oſtendiſſem, ita ſibi illud placuiſſe aſſeuerarūt, ut nihil morādum mihi eſſe, quin id ederē quamprimùm, cenſerēt. Totam enim quæ de moribus eſt doctrinam ita breuiter & perſpicuè in hoc libro traditā eſſe, ut ad obſcura ueterum hac de re ſcripta planiſsimam poſſet omnibus uiam ſternere. Neminem ſiquidem latere, quàm pauci, quod hac de re

ſcriptum reliquiſſet Ariſtoteles, intelligentia conſequi poſſent? quàm pauciores etiam diuini Platonis, unici totius Philoſophiæ fontis, myſteriorum capaces eſſent: quantis denique tenebris hæc tota præclariſsima ſcientia iã à ſeculis aliquot intricata eſſet, atq; obſcurata. Hîc ego, qui nũquam non ſtudioſorum utilitati per me cõſultum uolueram: ac præterea de familiaribus Valerij intellexerã, nunquam illi tantum ab occupationibus uarijs, ac precipuè grauiſsimo eloquentiæ profeſsionis munere ocij fore, ut extremam huic libro manum poſſet addere: nec ipſius hac de re uoluntatem, propter locorum diſtantiam reſciſcere poteram: dubitãdum non putaui, quin hoc opus in lucem quàm primùm emitterẽ: nec tanto λειμηλίῳ Philoſophiæ, rei lõgè diuiniſsimæ, ſtudioſos amplius fraudarem. Veniebat etenim in mentẽ, antiqui Græcorum nunquam ſatis laudati moris, quo ſolebat is execratione

tione dignus duci, quiſquis erranti uiam grauatus eſſet mõſtrare. Siquidem geminum quid facturus quodam modo uidebar, ſi ſcriptum hoc, quod multis ad uitam rectè inſtituẽdam non parum arbitrabar profuturum, diutius tanquam inuidia quadam καὶ μισανθρωπίᾳ ſupprimerem. Authorem porrò ueniam nobis facilè daturũ ſpero, ſi quod ipſe proculdubio in communem utilitatem conſcripſit, id nos ut à paucis in omnium perueniret manus, effecimus. Quoniã porrò SEB. FOXII liber eodẽ argumẽto fuerat à nobis olim editus, nec eius plura iam reſtabant exẽpla, hunc unà cum Valerij Ethicis cõnectere uoluimus: & hac quoque ratione ſtudioſis, quantũ in nobis eſt, gratificari. Vale, Lector: & fruere.

IDEM, EIDEM.

Ne paginæ aliquot initio libri uacarét, ac ſimul tibi conſuleremus, ſtudioſe Lector: uiſum eſt, Fragmenta quædam Pythagoreorum, è Stobæo nuper à G. CANTERO uerſa, ex Ethicis Ariſtotelis à T. ZVINGGERO editis, quæ unà hoc tempore imprimebamus, huc transferre, quantũ chartæ ſpacium feret. Reliqua ex ijſdem Ethicis Ariſtot. non difficulter petes. Iterum uale.

FRAGMENTA quædam Pythagoreorum, ex Stobæo:

INTERPRETE G. CANTERO

HIPPODAMI THVRII.

ANimalia beatitudinis alia capacia ſunt, alia non ſunt. Capacia ſunt, ea quæ ratione ſunt prædita: quandoquidem beatitudo ſine uirtute ſubſiſtere non poteſt: uirtus autem in eo quod rationis eſt compos, cernitur. Capacia non ſunt, quæ ratione carent. Etenim nec quod uiſu caret, uiſus aut operis aut uirtutis eſt capax: nec quod rationis eſt expers, ratione præditi uel opus uel uirtutem poteſt capere. At beatitudo & uirtus ratione præditi, illa tanquam opus, hæc tanquam ars quædam eſt. Iam ratione prædita quædam ipſa perfecta ſunt, quæ per ſe ſunt perfecta, nec ulla re externa uel ut ſint, uel ut bene ſint, indigent: qualis quidem ſit Deus. *Non ipſa perfecta ſunt, quæ per ſe non ſunt perfecta, uerùm externas res requirunt: qualis quidem ſit homo. Non ipſa perfecta porrò quædam perfecta ſunt, quædam imperfecta. Perfecta, quæ & ſuis & externis cauſis nituntur: ſuis, quòd & naturam bonam, & conſilium rectum attulerint: externis, quòd rectam le-*

gum conſtitutionem, ac probos præfectos nacti ſint, qualis quidem ſit homo bonus. Imperfecta *ſunt, quæ uel neutrum horum, uel tantum aliquod ſunt conſecuta, uel prorſus prauo ſunt ingenio. qualis quidem ſit alterius generis homo.* Perfecti *homines porrò alij natura ſunt, alij uita perfecti.* Natura, *qui boni duntaxat ſunt: id eſt, uirtute præditi.* Virtus *enim cuiuſque, in cuiuſque rei natura ſupremum eſt, & perfectio: tum oculi, in oculi natura ſupremum & perfectio: tum hominis, in hominis natura ſupremum & perfectio.* Vita *perfecti ſunt, qui non boni tantum, ſed etiam beati ſunt. Cùm enim beatitudo ſit humanæ uitæ perfectio: uita quidem eſt actionum compoſitio, eas autem ad finem deducit beatitudo. id quod per uirtutem fit, & felicitatem: illam propter uſum, hanc propter ſucceſſum.* Ac Deus *quidem nec uirtute ab aliquo percepta bonus, nec felicitate comitante beatus eſt redditus.* Etenim *natura tum bonus tum beatus erat, ſemperq; & fuit & erit: nec unquam talis eſſe deſinet, cùm interire non poßit.* Homo *uerò nec bonus natura, nec beatus eſt, uerùm diſciplinam & fortunam requirit: uirtutis quidem, ut bonus: felicitatis autem, ut beatus euadat.* Quocirca *duo hæc beatitudinem humanam conſtituunt, laudatio, & felicitatis prædicatio.* Laudatio *uirtuti, altera felicitati tribuitur.*

tur. Iam uirtutem ex diuina, felicitatem ex huma na ſorte adipiſcitur. Differunt autem cùm diuina cœleſtiaq; à mortalibus ac terrenis, tũ à meliorib. deteriora. Itaq; qui deos ſequitur, beatus: qui mortales, miſer euadit. Nam prudentia prædito decens & utilis eſt felicitas: decens, quoniam uti nouit: utilis, quia factis manum admouet. Pulcrum igitur eſt, quando cum felicitate prudentia coniungitur, tanquam ſecundo uento actiones ad uirtutem tanquam Cynoſuram reſpiciendo perficere. Sic enim non Deum tantum ſequetur, ſed etiam humanum bonum cum diuino componet. Hoc quoq; manifeſtum eſt, ex affectionibus & factis uitæ diſcrimen gigni. Eſt autem tum affectio uel honeſta, uel turpis, tum factum uel beatum uel miſerum. Honeſta affectio eſt, quæ uirtutis: turpis, quæ uicij particeps eſt. Facta quoq; beata ſunt, quæ in felicitate cernuntur, quoniã ratione perficiũtur: miſera, quæ in infelicitate, quoniã finem non aſſequuntur. Quapropter uirtus non modò diſcenda, ſed etiam poßidenda, & ad familiarum ac rerum pub. uel ſecuritatẽ, uel augmentum, uel etiam (quod eſt maximum) emendationẽ eſt uſurpanda. Rerum enim præclararũ non tam poſſeßionem quàm uſum ſectari debemus. Quæ quidem omnia contingent, ſi quis remp. bene conſtitutam nãciſcatur. id quod equidem Amalthea,

quod dicitur, cornu uoco. Etenim in recta legum conſtitutione ſunt omnia, neq; maximum humanæ naturæ bonum uel exiſtere abſque ea, uel comparatum & auctum permanere poßit. Nam & uirtutem, & ad uirtutem uiam hæc in ſe cõtinet: quandoquidem in ea partim naturæ bonæ procreantur, partim & mores, ſtudia, leges optimè ſe habent, & recta ratio, pietas, ſanctimonia magnoperè uigent. Quamobrem qui beatus futurus & feliciter uicturus eſt, eum in bene conſtituta rep. & uiuere neceſſe eſt, & mori. Quid quod etiam neceſſariò, quæ antè dicta ſunt, ita ſe habẽt? Cum ſit enim homo ſocietatis pars, hac ratione fit eodem pacto perfectus, ſi non tantum ſocium, ſed & probum ſocium ſe præbeat. Quædam etenim in pluribus, non in uno: quædam in uno, non in plurib. cernuntur: quædam & in pluribus, & in uno: ideoq́; in uno, quoniam & in pluribus. Nam harmonia, concentus, numerus, in pluribus cernuntur: quandoquidem horum nulla pars totum queat conſtituere. Iam uiſus & auditus præſtantia, pedumq́; uelocitas in uno duntaxat exiſtunt. At beatitudo & animi uirtus & in uno, & in pluribus, & in toto, & in uniuerſo cernitur. ideoq; in uno, quoniã & in pluribus: ideoq́; in pluribus, quoniam & in toto atq; uniuerſo. Nam & naturæ totius conſtitutio ſingulas partes conſtituit: & ſingulorum

conſtitu-

conſtitutio totum atq; uniuerſum abſoluit. Id *autem inde fit, quòd natura prius eſt parte totum, non pars toto. Si enim mundus non eſſet, nec ſol, nec luna, nec uel fixæ uel errãtes extarent ſtellæ. Poſtquam uerò mundus eſt, horum quoq; ſingula cernuntur. Atq; hoc in ipſa quoq; animalium natura perſpicitur. Si enim animal non eſſet: nec oculus, nec os, nec auris appareret. Poſtquam autem eſt animal, hæc quoq; ſingula cernuntur. Sicut porrò totum ad partem, ſic etiam totius uirtus ad partis uirtutem ſe habet. Siquidem abſq; harmonia diuináq; mundi cura non poſſent, quæ conſtituta ſunt, in ſtatu ſuo permanere: abſq; recta legum in ciuitate conſtitutione, nullus uel bonus uel beatus poſſet eſſe ciuis: abſq; animalis ſanitate, non poſſet nec pes nec manus roboris & ualetudinis eſſe particeps. Eſt enim ut mundi uirtus, harmonia: ita ciuitatis, bona legum conſtitutio: & corporis, ſanitas ac robur. Atq; ſingulæ totorum partes ad totum & uniuerſum referuntur. Nam & oculi totius corporis cauſa cernunt, & reliquæ partes totius atque uniuerſi cauſa conſtitutæ ſunt.*

EVRYPHAMI PYTHAgorici, lib. de Vita.

Perfecta hominis uita quemadmodum Deo cedit, quoniam ipſa perfecta non eſt: ita brutis præſtat,

ſtat, quoniam uirtutis & beatitatis eſt particeps. Nam nec Deus externam cauſam requirit, (cum enim natura bonus ac beatus ſit, per ſe perfectus eſt) nec brutum ullum. Etenim cum ratione careant, actionũ quoq; carent ſcientia. At hominis natura partim ſui eſt conſilij, partim etiam diuinum requirit auxilium. Quòd enim rationem capere, honeſta turpiaq; cognoſcere, rectà in cœlum à terra ſuſpicere, deosq; altiſsimos poteſt comprehendere, diuinum quoque adeptus eſt auxilium. Rurſum quod uoluntatem habet atque conſilium, ac tale in ſe initiũ, quo poßit & uirtuti & uitio ſtudere, deosq; & colere & auerſari: per ſe quoque moueri ualet. Quapropter tum laudem & honorem, tum uituperium & ignominiam partim diuino, partim humano facto conſequuntur, ſiue uirtuti ſiue uicio dederint operam. Sic namq; ſe tota res habet. Hominem Deus, animal præſtãtiſſimum, & ut ſuæ naturæ reſpondens, ita uniuerſi conſtitutionis oculũ in mundo collocauit. Quamobrem hic & rebus impoſuit nomina, quarũ fuit ſignator: & literas inuenit, memoriæ theſauro inſtructo: & uniuerſi conſtitutionem imitatus, iure ac legibus urbium ſocietatem concinnauit. Nullũ enim factum nec mundo, nec dijs poteſt eſſe dignius, quàm ciuitatis benè conſtitutæ compoſitio, legumq; & reip. conſtitutio. Siquidem unuſquiſque,

que, cum ſit per ſe nullus, nec ad uitã in communi concordia, reiq; pub. compoſitione degendam per ſe aptus eſt, & ad integram perfectamq; ſocietatis compagem conſtituendam ineptus. Etenim humana uita lyræ undiq; perfectæ & accuratæ ſimilis eſt. Sicut enim lyra omnis tria hæc requirit, apparatum, compoſitionem, & pulſum muſicũ (apparatum dico, propriarum partium omniũ copiã, ut chordarum, & ad pulſum ac ſonum pertinentiũ inſtrumentorũ: compoſitionẽ aũt, mutuã ſonorũ proportionẽ: pulſum deniq;, horũ pro cõpoſitione motũ) ſic etiam humana uita tribus his indiget. Apparatus quidem eſt, uitæ partium iuſtus numerus. ſunt autem uitæ partes, corporis bona, opes, amici, gloria. Compoſitio eſt, horum ſecundũ uirtutem & leges conſtructio. Pulſus deniq; muſicus eſt, horum ſecũdum eadem permiſtio, cum ſecundo uento uirtus fertur, neq; aduerſi quicquã aliunde ſentit. Non enim in eo, ſi uoluntario ſcopo excidant conſilia: uerum ſi eum aſſequantur, eſt poſita beatitudo: neq; tam ut ſatellitibus ac miniſtris uirtus careat, quàm ut ſuis facultatibus ad res agendas affatim inſtruatur. Nam nõ ipſe perfectus, ſed imperfectus eſt homo. Fit autem perfectus partim ſua, partim alieno opere, idq; uel natura, uel uita. Natura, ſi bonus euadat: uirtus enim cuiuſq; in cuiuſq; rei natura ſupremũ eſt & perfectio:

ſectio: tum oculorum, in oculorum natura ſupremum & perfectio, tum aurium, in aurium: tum hominis, in hominis natura ſupremum & perfectio. Vita perfectus fit, ſi beatus euadat. Beatitudo enim humanorum bonorum ſumma eſt, & perfectio. Quo fit, ut rurſum uirtus & felicitas eius uitæ partes exiſtant: & uirtus animæ, felicitas corporis, ſimul utrunq; animalis uicē gerat. Vt enim illius eſt, naturæ bonis rectè uti: ita huius, uſum ſuppeditare: & ut uti, uirtutis, ita uſum præbere, felicitatis. Illius eſt, conſilium & rationē rectam: huius, actiones & facta conferre. Nam ut honeſta uelle, & ferre grauia, uirtutis eſt proprium: ita conſiliorum optatus euentus, & factorum finis in felicitate ſitus eſt. Quemadmodum etenim uincit imperator uirtute & felicitate, feliciter gubernator nauigat arte & uento ſecundo: rectè cernit oculus & uidendi facultate & luce: ita præſtantiſſima humana uita & uirtute & felicitate redditur. &c.

ERRATORVM COR-
rectio.

Fol.	Verſ.	
6	20	&
13	14	&
14	10	moueatur
	14	metu
21	23	reſtinguemus
24	11	angens
28	ult.	quod
32	1	nullæ
45	17	for iudicantur
48	ult.	for facere cogat
53	23	quia pro huic
56	7	æqual.
	9	&
57	20	& pro ut
59	8	quod
61	ult.	&
64	9	itemq;
69	22	collocatur
78	19	luis
111	11	efficiant
	18	prædicata

Ὡς ἀπὸ τοῦ βίβλου.

Ἤθεα κεδνὰ μαθεῖν εἰ βούλεαι, ἠδὲ διδάσκειν,
Ξεῖνος, ἀναπτύσσειν ἄπτερα δέλτον ἐμήν.
Εὐμαθέως γὰρ σ' ἐνθάδε τρίβος ἠδὲ κελεύθῳ
Ἄξει, τὸ δνοφερὸν πᾶν σκότος ἐξελάσας.

C. F.

BREVIS ET PERSPICVA TOTIVS Ethicæ, ſeu de morib. Philoſophiæ deſcriptio, diligenter & ordine perfacili explicata,

à *Corn. Valerio Vltraiectino.*

DE ETHICAE FINE AC partibus. Cap. I.

EThica philoſophia, quæ latinè de Moribus, & Moralis appellatur, eſt bene uiuendi ratio; ſeu de moribus & uitæ communis actionibus, atq; officijs rectè iudicandi ſcientia. Eam philoſophi diligenter excultam, naturæ tantum lumen rationemq; ducē ſecuti nobis tradiderunt. Quorum ſtudium omne aut in naturæ obſcuritate inueſtiganda, & explicanda: aut in uita ac morū inſtitutione præcipuè uerſatum eſt. Quanquam autem, ut Cicero ſcribit, iam inde à Platone fuerit accep-

ta philoſophandi ratio triplex: una, de ui ta & moribus: altera, de natura & rebus occultis: tertia, de diſſerendo, & quid uerum & falſum, quid rectũ in oratione, prauumúe, quid conſentiens, quid repugnet, iudicando: nullam tamen Philoſophiæ partẽ diligentius, authore atq; hortatore Socrate, ſunt perſecuti, quàm eã, qua nihil ad uitam humanam tranquille degendam magis erat neceſſariũ, quæ mores hominum inſtituit ac format, omnesq́; uitæ actiones uirtutis norma dirigit: ut honeſta uiuendi ratio teneatur: ut de rebus bonis & malis, honeſtis & turpibus, expetendis & fugiendis, utilibus & inutilibus, rectè informentur hominũ iudicia: qui ſæpe male de his iudicantes, nõ ſuo precio res bonas & malas æſtimant. Præclarũ hoc Dei donum eſt, rectum de rebus diuinis & humanis iudicium. Deus enim & lumen animi noſtri, mentisq́; contagione corporis obſcuratæ uim excitans, nouo ſplendore illuſtrat, & uoluntatem miſerè deprauatã ſua benignitate corrigit. His adiumẽ-

tis

tis inſtructi, ad ueri cognitionem & ſcientiam peruenire contendamus. Sunt nonnulli qui putent, optimam uiuendi rationẽ eſſe potius ex literis ſacris, quàm ex prophana philoſophia petendã: quod nos quoq; tutius & certius eſſe putaremus, ſi diuinis illis Dei uoce proditis literis ea, quæ de Ciuili hominum inter ipſos conſocia tione, & reip. conſeruatione (ſine qua Dei præceptis obſequentes, & pij uiri tranquillã uitam agere non poſſunt) à prophanis ſcriptoribus tradita ſunt, continerentur. Quare quoniã Philoſophi Chriſtianæ religionis ignari illi quidẽ, ſed humanæ ſapientiæ perſtudioſi, legem illam naturæ diuinitùs in omnium mentibus inſculptam ſequentes, conſtanti perpetuoq; de rectè perperámque factis iudicio utiles ad uitam bene degendam leges ac præclara de moribus præcepta dederunt, grauesq; nobis ſententias reliquerũt, quibus ad uirtutem excitemur, & à uitijs deterreamur, ipſaq; natura duce rectè honeſteq; uiuendũ eſſe intelligamus, & bonis à Deo pro-

poſita præmia, malisq́ſupplicia, idq́ conſcientia teſte, qua quiſque uel accuſatur uel excuſatur: cur his uereamur uti, præſertim quæ nihil Chriſtianæ religioni aduerſantur, & proſunt plurimum? Nos igitur à Philoſophis optimis utiliſſima bene uiuẽdi præcepta mutuati, certiſſima literarum Sacrarum norma dirigamus. Totius Philoſophiæ de Moribus in his tribus ſumma conſiſtit: ut finis hominis & felicitas intelligatur, ut animi perturbationes cohibeantur, ut uirtutes & his contraria uitia cognoſcantur, & illas ut amplectamur, hæc ut fugiamus, uitamq́ cum uirtute piè ac iuſtè uiuamus: ne de religione uera male ſentiamus, né ue quod nobis fieri nolumus, alteri facere uelimus. Id enim præcipuũ rectè philoſophantium ſtudium eſt, ut præceptis naturæ legi ac rationi conſentaneis, hominum uoluntas ad uirtutem atq́ omnem humanitatem, et ad amabilem concordiam informetur: ut & priuatim & publicè bene uiuatur, atq́ naturæ præſcripto obtẽperetur. Hæc bene inſtituendæ uitæ

diſciplina

diſciplina quamuis una eademq́ſit, diuerſa tamen ratione tribus partibus diſtincta, in Monaſticē, in Oeconomicē, & Politicen diuiditur: hoc eſt, in Solitariā, Domeſticam, & Ciuilem. quarum prima ad ſingulorum hominum mores formandos pertinet: altera ad familiam bene inſtituendam: tertia ad rempub. rectè adminiſtrandam. Prima cuiuſq́ hominis animum inſtituit, & ad uirtutem informat: eſtq́ principium familiæ, ſicut familiarum multitudo ciuitatis. Ac primùm quidem ea quæ ſingulorum hominum mores animumq́ bene uiuēdi præceptis inſtruit, explicabitur. Informandus enim primùm omnium eſt, qui uel familiam uel ciuitatem rectè gubernare poſſit: deinde breuiter Oeconomica & Politica, quas non incommodè fortaſſis eo loco Monaſticæ philoſophiæ partis, qua prudētia tractatur, comprehendere licebit. niſi quis ad Iuſticiam generalem referre malit, ut ſit Iuſticia domeſtica & Ciuilis. Quoniā igitur materia in qua uerſatur omnis hæc morum philoſophia,

ſunt actiones humanæ, quas illa rectè inſtituere docet: omnes autem illæ ad ultimum aliquem finẽ referantur: nihil hic prius, quàm de fine ac ſummo bono, ad quod actiones diriguntur, breuiter explicandum uidetur. quo cognito, mox de actionibus, quib. ad eum finẽ perueniri poſſit, paulo copioſius erit diſſerendum.

De fine hominis, ac Summo bono. Cap. 2.

Soli homines, quia ratione præditi ſunt, non ſolum nihil niſi finis alicuius cauſa agunt, uerumetiam extremum aliquem ſuarum actionum finem, eumq́; optimum ſibi proponunt: cætera uerò animantia ad id ſolum quod adeſt, cæco naturæ impetu feruntur. Quoniam autem finis omnis, ſi ſit expetendus homini, bonus eſt: erit extremus finis, ſummum bonum, ut per ſeſe expetendum, cuius gratia fiunt omnia, & cuius adeptione felices redduntur homines, ac beati. Sed quid illud ſit, quod ultimũ atq; unicum ſtatuendum uideatur, ac ſummum bonum, dubitatum eſt

à Phi-

à Philoſophis:ac diu fruſtra quæſitum, uarieq́ disputatum: quorum alij felicitatem in uoluptate poſuerunt, alij in ſcientia, alij in honore, alij alijs in rebus. Plato reliquis diuinior, eam in primi boni, ſeu ideæ boni, ſeu Dei ac diuinæ ſapiētiæ contemplatione perfruenda conſtituit: cui quo ſimilior quis efficiatur, eo feliciorem, magisq́ beatitudinis participem fore cenſuit: ſed eam felicitatem in hac uita non contingere, quod nemo ſit ante obitum felix. Ariſtoteles libro primo ad Nicomachum, in actione perfecta uirtuti perfectæ conſentanea: nimirum quæ prudentiæ regula dirigatur, quòd ea uideretur homini ſummā & ſufficientem perfectionem adferre, cum & Peripatetici doceant, uirtute quidem beatam uitam effici: quæ tamen ſi corporis & fortunæ bonis illuſtretur, beatiſſimam fore: conſtare enim bealitudinem triplici genere bonorum: ſed in libro decimo, in cōtemplationis delectatione felicitatem poſitam eſſe indicauit, ut quamuis illa actuoſa felicitas ad hanc contemplantem

referatur, in ſuo tamen genere ſit ultimus finis. Quaſi uerò, quod unum eſt ſummum bonum, poſsit eſſe duplex. Melius Plato, magisq; religioni cõſentaneè, adeoq; uerius ita definiuit, ut ex illius ſentẽtia nobis quoq; rectè ſummũ bonũ ſtatuatur æterna Dei uidendi fruendiq; uoluptas, per ſeſe expetenda: quam conſecutus, rectè beatus appellatur. cui iam nihil ad ſummam felicitatem deeſt, in eaq; ſic acquieſcit, ut nihil præterea deſideret, cum ſit malis omnibus liberatus, æternaq; donatus uita: quam nemo niſi Dei beneficio ac munere, ne quis homo glorietur, conſequi poteſt. Id enim nõ eſt uolentis, neq; currẽtis, ſed miſerẽtis Dei, & peculiare ſacri Spiritus donum, per Chriſtum dominum noſtrum conceſſum: ad quem nemo uenire poteſt, niſi Pater cœleſtis illum traxerit, autor omnis felicitatis: in quo per filium cognito, ſpes æternæ uitæ repoſita nobis eſt: qui nulla alia de cauſa nati ſumus, quàm ut eum conditorem cognoſcamus, ei gloriam omnem tribuamus, eum tota mente amemus,

mus, atq; ut ille iuſſit colamus. Ad hunc finem quia per uirtutis actiones perueniendum eſt, ſequitur, ut de his primùm ſit diſſerendum. Sed cum actiones uoluntariæ ſint, ipſaq; uoluntas hominis animo ſit inſita, quæ ſoli Deo ſubiecta liberum habet agendi principium, ſed uarijs motibus ita perturbatur, ut à recta uirtutis uia ſæpius aberrent humanæ actiones: de affectuum ac uitiorum & uirtutum origine paucis explicabimus. Animus humanus mortali corpori incluſus, duabus ueluti partibus diſtinguitur: quarũ una cœleſtis eſt, tanquam radius quidam diuino ſpendore collucens, ut mens: altera corpori coniuncta, ut appetitio ſeu cupiditas & ira. Superior eſt rationis particeps, inferior expers: illius eſt imperare, huius uerò parêre. Sed hæc ſæpe uelut equus ferociens, aurigæ non obtemperans, impetu fertur ad ea quæ placent, ſiue honeſta ſiue turpia, non audiens rationem & mentem atq; intelligentiam, quæ noticiarum eſt particeps illarum quæ naturâ nobis innatæ ſunt, uel

potius diuinitùs inſitæ: hortaturq́ſemper ad honeſta, ſiue iucunda ſint illa, ſiue triſtia. Triplex enim bonū eſt: Honeſtum, Vtile, & Iucundū. Honeſtum, quod cum recto rationis iudicio congruit: utile, quod naturam & uitam iuuat: iucundum, quod naturalem appetitionem, ut potus ſitientem. Atq; ex his fontibus actiones omnes oriuntur. Mentis ac rectæ intelligētiæ eſt, diiudicare: alterius uerò partis eſt, imperium mentis exequi, & actiones ſuſcipere. Mens duas habet inſitas à natura præcipuas notiones: unam ueri falſiq́ diiudicandi, alteram boni maliq́ diſcernendi. Omnes enim tacito quodam ſenſu quæ recta ac praua ſunt (modò ne obruatur hoc naturæ lumen) internoſcunt: ſiquidem natura nobis dedit uirtutum paruos quaſi igniculos & ſemina, & quandam animi propenſionem ad agendum, ac facultatem. Hanc affectus mouet. Affectū ſequitur actio, & ex actionib. frequētib. cōparatur habitus uel uirtutis, ſi referatur ad finē bonum: uel uitij, ſi ad malum. Atq; hæc eſt

omnium

omnium humanarum actionum origo.

De affectibus. Cap. 3.

CVm autem omnis uirtutum uitiorumq́ ratio ex his ueluti principijs oriatur, facultate, affectu, actione, & habitu: hæc breuiter explicabimus: ac de facultate quidē pauca illa quæ dicta ſunt fuerint ſatis. & diſcrimen illud obſeruetur inter naturalem animi propenſionem, & huius propenſionis concitationem ſeu affectum: ut naturam hominis iracundi mouet ira, ſicut ambitioſi gloriæ cupiditas. Deinceps igitur de affectibus dicendum eſt. Affectus eſt animi commotio, mentis tranquillitatem perturbans, quæ græce πάθος, & à Cicerone perturbatio dicitur, & definitur turbidus animi concitatusq́ motus auerſus à ratione, inimicus mentis uitæq́ tranquillæ. Stoici cum uiderent hominē multis ac prauis agi cupiditalibus, ipſamq́ naturā hominis integram eſſe minimeq́ uitioſam falſò crederent, negabant affectus eſſe naturales, ſed opiniones eſſe tantum uel boni uel mali, & genere ſuo

omnes eſſe uitioſos, et ex natura hominū euellendos affirmabant, quibus ſapientē liberum eſſe uoluerunt. Primùm enim, eſſe naturales & ingenitos, ex eo facilè probatur, quòd affectus ſeu propenſiones quædam animantibus natura ipſa inſiti ſunt, ut amor parentum in liberos. Et quis non uidet homines ad iram uel amorem, ad læticiam uel triſticiam alios aliјs eſſe procliuiores? Deinde non omnes eſſe uitioſos, ex eo ſatis perſpicuum eſt, quod ipſa Dei lex amorem nobis præcipiat in ipſum, in homines, in coniugem, liberos, parentes: miſericordiam, ſpem, fiduciam, gaudium, & alias aliquot affectiones perutiles & ad excitandum animum neceſſarias. Sic enim affectus commodè poſſent diſtingui, ut aliј natura boni dicantur, qui cum ratione ſeu lege naturæ conſentiunt, ut beneuolentia, miſericordia: aliј mali, qui diſſentiunt, ut odium, inuidia, ſuperbia, deſperatio: aliј mediј, ut ira, ſpes, audacia, metus, cupiditas, amor, læticia, triſticia: qui ut cum uirtute congruant, rationis mediocrita-

te

te iudicandi ſunt. Cæterũ nec illud probandum eſt, quòd quidam putarunt naturales eſſe, non etiam uoluntarios affectus. Cum enim uoluntas noſtra ſoli Deo ſubiecta, liberum habere uideatur agendi principium: exiſtimandum eſt, ipſam quidem ad has uel illas procliuitatem primumq́; etiam impulſum eſſe naturalem: ſed earũ commotiones uoluntarias, ac rationis iudicio poſſe cohiberi, ne ruant impetuq́; ferantur, atq; hominem mox etiam propè inuitum ad uitia compellant. Quanquam etiam tum uoluntas ipſa uolens frenos laxat, ut aliquo modo retinere poſſet, ſi modo adiutorem Deum inuocet. Vt enim ſit imbecilla, tamen eſt aliqua libertas, quæ refrenare poßit affectus. Poſſe autem eos diſciplina coerceri, teſtantur hæc ucrba diuinitus prodita: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ei. Cum autem duabus ex partibus homo cõſtet, animo & corpore: ſitq́; duplex animi uis, una rationis particeps, altera expers: illa conſtans & quieta eſt, hæc inconſtans & affectibus turbida,

bida, quæ ſæpius illam cõmouet: quo ſit, ut homo, ſi rationis ac mentis iudicium ſequatur, perturbatione uacet: ſin corporis libidini malit obſequi, uarie concitetur. Fons igitur affectuum eſt, animi pars illa rationis expers: eaq́; Duplex, θυμοειδὴς iraſcens, & ἐπιθυμητικὴ appetens. quæ ſi mentis ac rationis imperium ac iugũ detrectans, ſuo feratur impetu, ſtatim perturbationum aliqua moueantur neceſſe eſt, & uel boni uel mali opinione ſeu ſpecie modo huc modo illuc rapiatur, & interdum uoluptate aut cupiditate, interdum motu aut odio perturbatur. Ad hæc enim duo genera, quicquid affectuũ eſt, referri poſſe uidetur: quod omnes perturbationes oriantur ex opinione boni uel mali, ſiue præſentis ſiue abſentis. Ex opinione boni uoluptas, ex opinione mali dolor naſcitur. Ad uoluptatẽ referuntur, amor, deſideriũ, lætitia, quæ naturam iuuant, & inter hæc præcipuè læticia: ad dolorem, ira, odium, metus, triſtitia, que naturam lædunt grauiſſime. Omnium autem ſedes in corde

recte

rectè collocatur, cui magna eſt cum uoluntate coniunctio, quæ uel appetat, uel fugiat, ſi quid obiectum ſit, quod aut iuuare naturam aut lædere uideatur.

De Amore. Cap. 4.

Amor eſt inclinatio uoluntatis, in id quod bonũ putatur propendens. Cum enim aliquid oblatum eſt, quod aut uerè bonum ſit, aut ſpecie boni placeat, ea opinione commouetur appetens animi facultas ad id potiendum ac fruendum. Bonorum autem quæ ab hominibus expetuntur, genera diximus eſſe tria: Honeſtum, utile, & iucundum, quæ ſæpe coniunguntur, quod idem & honeſtum & utile & iucundum eſſe poſsit: at non continuò quod aut utile aut iucundum ſit, honeſtum eſt: cum hæc interdum pugnare cum honeſto uideantur. Sed nihil tamen eſt uerè aut utile aut iucundũ, quod non ſit idem honeſtum: quod autem honeſtum eſt, id propter ſe tantum nulla nec utilitatis nec iucunditatis habita ratione expetitur. Quanta ſit uis amoris, Poetarum carmina te-

ſtantur,

ſtātur, & paucos eſſe nullius amoris ſibi conſcios arbitramur: Triplicem fecit amorem Plato. primum, qui ſolam uirtutem amplectitur & amat: ſed hic affectionum numero exemptus, inter uirtutes potius reponendus uidetur, quòd rectæ rationis iudicio utatur. alterum turpem, qui corporis uoluptatem: tertium, qui animam & corpus amat. Primo nihil generoſius eſt, altero nihil turpius: tertius, utriuſq; particeps ille quidem, ſed non minus tamen errat quàm alter: quòd corporis pulchritudinem admiratur, & uehementer amat. Huic amori blandè uenienti, & ſuauiter animum demulcēti niſi occurratur, & aliò traducatur animus ægrotus: fruſtra medicina paretur, ubi iam inualuerit amor, & altius inſederit.

De deſiderio & ſpe. Cap. 5.

D*Eſiderium eſt cupiditas eius boni, quod nondum adſit, fruendi. id ſi præſens eſt, amatur: ſin abſens, deſideratur. Ex hoc fonte, ſi negligatur iudiciū rationis, & immoderata ſit cupiditas,*

atq; extra naturæ (quæ paucis eſt contenta) fines ac terminos egreſſa, multa naſcuntur uitia: ut auaricia, ambitio, libido, luxus, &c. Spes à Cicerone definitur, expectatio boni. cui contraria eſt Deſperatio, opinata boni ad ipiſcendi difficultas ac diffidentia, quæ inter triſticiæ formas infrà numerabitur. Prudẽtis eſt, ea ſperare, quæ conſequi poſsit: nec temerè deſperare, quo per laborem peruenire poſsit. Atq; hæc quidem ſpes, qua bonum uel uerum uel adumbratum optamus, diſtat ab ea quæ Theologica dicitur, & uirtus eſt, ac definitur æternæ felicitatis expectatio: cui item contrarium uitium eſt, Deſperatio.

De Læticia. Cap. 6.

Læticia eſt affectio, quæ boni alicuius præſentis, quo delectatur animus, opinione commouetur. Cicero gaudium & læticiam ita diſtinguit, ut gaudio placidè & conſtãter, læticia uerò inaniter & effuſe moueatur animus. hoc affectu maximè iuuatur natura, & cor dilatatur, ac uelut amplectens quod ui-

ſum eſt bonum, dulciter animum iucundeq; mouet, ac uitā in corde fouet, quam triſticia affectio contraria opprimit. hæc autem iucunditas & delectatio pro magnitudine boni quod oblatum eſt, maior eſſe minorúe poteſt, & aut honeſta aut turpis. honeſta erit, ſi naturæ modo ac rationi ſit conſentanea: qualis ex rerum bonarum contemplatione & ſtudijs comparatur. turpis uerò, ſi immoderata ſit, & rationi repugnans: qualis ex corporeis uoluptatibus capitur, ex prauis ſtudijs, & ex maleuolentia. ueluti ſi quis alieno malo delectetur: quo nihil eſſe debet ab homine, præſertim Chriſtiano, alienius.

De odio, & ira, & cognatis affectionibus.

Cap. 7.

A*Mori contrarium eſt odium: quod à Cicerone definitur, ira inueterata, hoc eſt cōtinuata. Naſcitur hic affectus ex animi offenſione, malum quod uidetur auerſantis, & alicuius uel facto uel dicto læſi, uel ſe læſum opinantis, & interdum*

interdum occulta quadam naturæ ui ab alterius amicicia abhorentis. Quemadmodum autem amore conciliantur omnes, ſic odio diſiunguntur: quo nihil eſt humanæ ſocietati pernicioſius. quod eo etiam grauius eſt, quo premit occultius. Odiſſe uitia prodeſt. at hominem amare, Chriſtiana charitas iubet, & peccanti noxam remittere: nulla uerò de cauſa quenquam odiſſe, perabſurdum eſt, & à recta ratione alienum. Referuntur ad odium plures affectiones, quæ bono uiro fugiendæ ſunt: ut contemptus, ut ira, ut inimicitia. Cōtemptus eſt, quo quis aliū ſe putat abiectiorem: cum nulla ſanè ſit cauſa cur ſe quiſquam alij præferendū putare debeat: ꝑpterea quòd ex ſe nihil ipſe proferre poßit, quod non aliunde acceperit, ut ex literis ſacris notißimum eſſe debet Chriſtianis. Ira definitur, libido puniendi eius qui iniuria læſiſſe uideatur: affectus hic uidetur ex triſticia & cupiditate ulciſcendi miſtus, qui grauiter hominem perturbat, & in eum à quo læſus uideatur, acriter inflammat.

omnium affectionum turbulentiſsima, qùa non ſolum animus, uerunetiam totum corpus ita concitur, ut præ ira uix homo uidere, ac ſenſibus uti, uix loqui poſsit. huc inimicitia pertinet, quæ definitur, Ira ulciſcendi tempus obſeruās. huc & diſcordia, peſtis reipub. huc omnis maleuolentia refertur. Differt Iracundia ab ira: quòd iracundia ſit naturalis facultas, qua quis ad iram procliuis redditur: ira uerò, illius facultatis commotio, & à ratione auerſus impetus, quo ſic interdum perturbatur animus, ut iratus à furioſo perparum diſtet: ac uerè ab Horatio dicatur, Ira furor breuis: & ab Ennio, inſaniæ principium. Inflammatur hac perturbatione, atq; exardeſcit in corpore ſanguis, & ſpiritus agitati ſubitò ita hominem commouent, & à ſeipſo alienant, ut ex poteſtate mentis exire, nec, antequam reſederit impetus, ac ſeſe remiſerit feruor, ad ſe redire dicatur. Sed nō omnis ira æquè turbulenta eſt. alia enim facilior eſt, & concitatior, hominemq; ſubitò corripit, ſed minus diutur-

na eſt: alia remiſsior quidẽ, ſed amarior & permanentior, atq; in odium degenerans, & uindictam expetens. Nec omnis ira uitioſa uideri debet, cum in Sacris literis ita legatur: Iraſcimini, & nolite peccare. nec malè ab Ariſtotele mediocritas iræ inter nimium & parum laudata eſt, & ira moderata fortitudini rerũ maximarũ comes adiuncta, quã ueteres Academici, teſte Cicerone, fortitudinis quaſi cotem eſſe dicebant, id eſt adiutricem: qua Seneca monet utendũ eſſe, nõ ut duce, ſed ut milite. Iraſcendũ igitur eſt impietati, iniuſticiæ, cæterisq; uitijs: & excitandus nobis animus cum opus eſt, cum tempus & locus poſtulant: retinendus uero, ſi nulla eiuſmodi ſit iraſcẽdi cauſa. Et quo grauius perturbatus eſt animus, eo diligentius iræ moderabimur, impetum cohibebimus, ac ſumma ui opprimemus, reuocato ſtatim rationis imperio, & eo quod iram concitauerat ſubtracto reſtringemus ardorem, uel in aliud tempus dilata uindicta minuemus perturbationem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De triſticia. Cap. 8.

TRiſticia, ſeu ægritudo, eſt perturbatio, contrahens ac premens animũ, quæ definitur à Cicerone, opinio recens mali præſentis, in quo demitti contrahique animum rectum eſſe uideatur. & breuius: Aegritudo eſt, animi ad uerſante ratione contractio. naſcitur hæc uel ex mali alicuius præſentia, uel abſentia boni. ex hoc fonte multæ perturbationes fluunt, quas enumerat Cicero in extremo libro 3. Tuſculanarum quæſtionum, & in quarto, cũ quatuor perturbationum genera poſuiſſet, & definijſſet, enumeratas repetit his uerbis: Sed ſingulis perturbationibus partes eiuſdem generis plures ſubijciuntur, ut ægritudini inuidentia, æmulatio, obtrectatio, miſericordia (ſed hunc nos affectum bonum, non animi morbũ iudicamus) angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, ſollicitudo, moleſtia, afflictatio, deſperatio (de qua nos infrà dicemus) & ſi quæ ſunt de genere eodem. hactenus Cicero, quem ſingulas formas definientem ipſe legito.

Vt

Vt non omnis uoluptas uitioſa dicitur, ita nec omnis triſticia. utq́; gaudere uirtute laudabile eſt; ita uitio triſtari ad cohibendum immoderatè geſtientẽ animũ, utile eſt: nec turpe uidetur moderatè lugere coniuges, liberos uel parentes.

De metu. Cap. 9.

METus eſt expectatio mali, ſeu futuræ ægritudinis ſollicita recordatio, ut Cicero ait: eſtq́; ſpei cõtraria. Naſcitur metus ex cõtractione cordis, ob imminentis periculi opinionem. utilis ad uitam eſt moderatus metus, conſilio rationis acquieſcens: immodicus uerò, uel nimis paruus, uituperatur. Sunt alij natura timidiores, alij audaciores, quod corporis temperamẽto phyſici tribuendum cenſent: ſed hic tamen non parum ualet opinio, qua uel augetur uel minuitur metus. hæc perturbatio plurimùm naturæ nocet, hominemq́; præſertim in repentinis caſibus ita commouet, ut non minus qui uehementer eſt perculſus, quàm qui grauiter iratus, ex poteſtate mentis exiſſe uideatur. Sub metu ſpecies multæ ſub-

ijciuntur, quarum omnium una cauſa eſt: finis autem opinioq́; mali diuerſa, pigritia, terror, pudor, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido. quarum definitiones apud Ciceronem eodem libró quarto Tuſculanarum quæſtionum requires. Adduntur his, adulatio, quæ & blanditia meticuloſa dicitur: ſuſpicio, metus ex mali imminentis conſideratione: deſperatio, deiecta mentis conſternatio: ſollicitudo, cura augens expectatione mali, & aliæ nonullæ ſpecies. Pudorē Cicero perſtrinxit, nō definiuit. Abſolui definitio poteſt, ut ſit pudor, metus turpitudinis, quē rubor conſequitur. de quo infrà latius dicendum eſt ſub capite de Modeſtia.

De audacia. Cap. 6.

OPponitur audacia metui, ut audaciam hic intelligamus moderatam audendi uim, ac confidentiam animi, & quandam mediocritatem inter nimiam & paruam, ſeu inter timiditatem & nimiam cōfiſionem, qua quis malum neq; futurū neq; præſens exhorrēs,

pericula

pericula confidenter aggreditur. Oritur *hæc contrà ac metus, ex dilatatione cordis, ſpiritibus calorem eius intendentibus: quorum impetu quia ſæpius quàm ratione & cõſilio regitur animus, audaciæ uerbum ferè in malam partem accipitur. Cõtraria eſt ueræ fortitudini, quæ prudenter periculi magnitudine perſpecta, magno animo id aggreditur. Ac de affectibus quidẽ hactenus, quorum moderatio maximè neceſſaria eſt ad optatũ finẽ per uirtutes cõtendẽtibus, ut quadam etiam in terris animi tranquillitate, quæ græcè dicitur* ἐϑυμία, *quam* Democritus *finem bonorum ſtatuit, futuræ illius ac ueræ uoluptatis imagine fruamur: quam, ſine* Chriſti *beneficio, qui ſolus animos hominum futuræ uitæ fiducia tranquillare poteſt, nemo unquam eſt conſecutus.*

De uirtute, & eius diuiſione & origine. Cap. II.

AD finem initio propoſitum omnes hominum actiones dirigũtur: ad quem duce uirtute peruenitur, quæ breuiſſimè

uiſſimè definiri poteſt, habitus quo uoluntas ad agendum rectæ rationi conuenienter incitatur. Rectæ autem rationis appellatione intelligimus legem naturæ, & earum rerum notiones quæ nobiſcum natæ, & mentibus noſtris diuinitus inſitæ ſunt, ut de rebus bonis & malis, honeſtis & turpibus rectè iudicemus: ut, Deũ eſſe colendum, neminem lædendum, &c. quæ uirtutis norma rectè uocabitur, ad quam omnis uitæ actio dirigatur: cum qua niſi congruat, uirtus appellari non poteſt. Definitur à diuo Auguſtino uirtus, ars bene rectéq; uiuendi: à Cicerone interdum recta ratio, interdum animi habitus naturæ modo ac rationi conſentaneus: interdũ affectio animi conſtans conueniensq;, laudabiles efficiens eos in quibus eſt. Ab Ariſtotele uerò definitur, habitus animi iudicio ſuſceptus, in mediocritate poſitus. in qua definitione uerbum Conſtans, quid ſit habitus, declarat: ut intelligamus, hũc uirtutis uſu & exercitatione comparari. Quod dicitur ratione ſuſceptus, hoc eſt, electione ſeu

conſilio: id ſignificat, uoluntariã eſſe uirtutis actionem. quod Habitus animi, id oſtendit, ſedem uirtutis. quod in mediocritate poſitus, id explicatur his uerbis ab Horatio:

Virtus eſt medium uitiorum utrinq; redactum. ut intelligamus, omnes uirtutes mediocritate quadam, quæ prudentibus uiris ac rerum multarum peritis & bonis probetur, eſſe moderatas. Verùm cum dicimus, actionem uirtutis eſſe uoluntariam, ſeu libero iudicio ſuſceptam: id ita accipiendum eſt, ut occulto Dei beneficio, ac ſacri ſpiritus ope, ſine quo nihil rectè facere poſſumus, adiuti, recto mentis iudicio parentes, libera uoluntate connitentes, uirtutis habitum ex diligentia ac frequenti uſu comparemus. Virtutis enim efficientes duæ ſunt hæ præcipuæ cauſæ, mens rectè iudicans, & uoluntas rectè iudicanti ac præcipienti obtemperans: quæ plurimum tamen adiuuãtur doctrina, quæ cognitionem earum ſententiarum, quæ naturâ nobis inſunt, ac lumen diuinitùs datum magnis ſæpe te-

nebris

nebris obſcuratũ illuſtret, ut Decalogus: & naturalis propenſionis incitatione, & diſciplina ſeu morum obſeruatione, ac diligentia in regendis actionibus, uelut ocij uitatione, & earum rerum quæ peccandi occaſionem offerunt. Plato in Menone ſcribit, à Deo uirtutem dari, non eſſe à natura nobis ingenitam, (ut Stoici uoluerunt) nec (ut Peripatetici) uſu tantum conſtare. Certè ueras uirtutes nòn niſi diuino munere cõtingere exiſtimandum eſt: alios etiam facilius à natura flecti, ipſa tamen ratione & uſu confirmari. Quod ad uitioſitatẽ attinet, eam uoluntariam eſſe dubiũ nõ eſt. Rectè igitur hominis actiones liberas eſſe dicendum uidetur, omnesq́ uirtutes & uitia eſſe uoluntaria. nam quod uoluntariũ non eſt, id nec laudem nec uituperationẽ meretur, ſed uenia dignum iudicatur. Diuiditur uirtus ab alijs in duas partes, Iuſticiam et Fortitudinẽ: ab alijs in quatuor, Prudentiam, Iuſticiam, Fortitudinẽ & Temperantiã. Alij uirtutẽ, ut totum ex partibus conſtare cenſent, quòd actioni-

bus

bus diuerſis accommodatum, quaſi diuerſas efficiat ſpecies, cum ex omnibus una uirtus abſoluta perficiatur: nec ulla ſit ex quatuor illis uirtutibus, quæ reliquarum comitatu carere poßit. Ariſtoteles in una prudentia uirtutes omnes connexas ait: nos accepta à ueteribus diſtributione, uirtutē diuidemus in quatuor illas, quas modò poſuimus, formas: quarum prima intelligentiam regit, reliquæ uoluntatem: quibus ſubijci poteſt, quicquid uſquam uirtutum reperiatur. Ac primùm de Prudentia dicemus, in cuius etiam explicatione breuiter œconomicen et politicam perſtringemus: quæ poſtea, ſi uidebitur, latius explicabuntur. Plato quatuor harū uirtutum alias perfectas eſſe dicit, quæ ſedes ſuas in animo infixerunt: quarum inter ipſas ea eſt ſocietas, ut una ſublata, ruant omnes: alias uerò imperfectas, quarum nōnullæ, ſublatis alijs, remanere tamē poſſunt. Eſt alia uirtutum diuiſio, qua diſtribuūtur in politicas, purgatorias, purgati animi, & exemplares: quā prioris libri Capite octa

uo

uo commentariorum in Somnium Scipionis copioſe Macrobius explicat. Primas docet Salomon in Prouerbis, alteras in Eccleſiaſte, tertias in Canticis, quartas in Deo legimus. Politicæ uitam humanam regunt, & externam uitæ ſocietatem conſeruant: Purgatoriæ labes animorum purgant, & ad uictoriam contendunt. Purgati uerò animi uirtutes, in eo qui deuictis iam uitijs in uirtutum amore conſtanter acquieſcit, collocãtur: quas diuus Auguſtinus cum reliquas tres approbaret, non recepit. Exẽplares uulgò dicuntur, quæ ueluti Ideæ ſunt (ut Græci uocant) ſeu formæ & ſpecies in mente diuina, cum Deus rerum omnium bonarum ſit exemplar. Virtus à Cicerone definitur (ut dictũ eſt) modò recta ratio, modò in ſe perfecta, & ad ſummũ perducta natura: nõnunquam rationis perfectio: quam definitionem Seneca ſecutus, ait: Virtus non alia quàm recta ratio eſt, ad quam ueluti regulam omnes uitæ actiones diriguntur. Et rectè uirtutum origo omnis à recta ratione proficiſcitur: nec

aliud

aliud uirtus eſt, quàm (ut optimè Cicero definiuit) recta animi affectio, ex qua uelut è fonte quodã omnes rectæ rationes, quæ dicũtur officia, fluũt: de quibus optimè Cicero ſcripſit. Atq; ita intelligẽdum puto, quòd unam tantum uirtutem nõnulli dixerunt, unum quidem eſſe officium, ſeu præſcriptã cuiq; à recta ratione actionẽ, quæ pro materiæ quã tractat uarietate diuerſis rebus accõmodata, quatuor illas, quas diximus, uirtutes procreat. Eſt enim reuera dũtaxat una recta animi affectio, uirtutũ ꝓcreatrix omniũ: quarũ diuerſa nomina ſunt, Prudentia, iuſticia, fortitudo, temperantia. de quibus ordine differemus: ſi illud primùm admonuerimus, non ſolũ ea quæ ſacri ſpiritus dona uocantur, uerumetiam omnes ueras uirtutes, ut piè cenſuit Plato in eo quẽ ſuprà nominaui Dialogo, non niſi diuino munere nobis contingere: nimirum ſi Dei dona complectamur, & hoc duce ad finẽ peruenire cõtendamus.

De prudentia. Cap. 12.

P*Rudentia uirtutum reliquarũ ue-*

lut magiſtra ac iudex, qua mille uirtutes uacare poſſunt, rectè primo loco ſtatuitur, dux actionum, & ars uiuendi: quæ definitur à Cicerone, rerum expetẽdarum fugiendarumq́; ſcientia: hoc eſt, recta mentis affectio, qua quid in actionibus humanis agendũ fugiendum'ue ſit cognoſcitur: à Cornificio in Rhetoricis ad Herennium, calliditas, quæ ratione quadam poteſt delectum habere & bonorum & malorum, quòd prudentiæ uis omnis in rerum bonarum & malarum, & nec bonarum nec malarum delectu cernatur. Calliditatẽ intelligit, non illã uitioſam, quæ ſæpius hoc nomine uocatur: ſed eam ſolertiã, quæ occultè cum honeſta aliqua atq; utili diſsimulatione ſubit. Ad quam uafrè dicta, & callidè facta, quæ in re militari appellãtur Stratagemata, referuntur. Ab eodem quoq; dicitur Prudẽtia, multarum rerum memoria, & uſus cõplurium negotiorum. Quamuis autẽ Prudentia, ſicut reliquæ uirtutes, in actionibus humanis uerſetur: præcipuè tamen ei ueritas, quaſi ma-

teria,

teria, quam tractet, ſubiecta eſt. Et certè propria hominis eſſe uidetur inquiſitiò & inueſtigatio ueri. Ad ueri inquiſitionem referuntur ab Ariſtotele uirtutes ſub intelligentiam cadētes, quinq́; Scientia, Ars, Prudentia, Sapientia, Intelligētia. quarum Scientia, Sapiētia, & Intelligentia certam noticiā & perfectam uirtutem poſtulant: Ars & Prudentia probabilem. Scientia definitur, certa ac firma rei alicuius per cauſam cognitio atq; perceptio, quæ uel ex inſitis animi notionibus per ſe cognoſcitur, uel rationum demonſtratione comparatur: eſtq́; earum rerum quæ aliter ſe habere mutariúe nequeunt, ut Theologia. Ars dicitur, habitus ratione conficiendi ea quæ aliter habere ſe poſſunt: ut omnes artes humanæ. Prudentia definitur, habitus ratione cōficiendi ea quæ ſunt homini uel bona uel mala. Sapientia uerò, ſcientia perfectiſſima eorum quæ ſciri ab homine poſſunt, quæ rerum diuinarum humanarumq́; ſcientiam complectitur. Intelligentia dicitur habitus principiorum, ex quibus

 proba-

probationes petuntur, percipiens. Prudentiæ coniunxit ille artem, ſcientiam, intelligentiam & ſapientiam: quod tametſi uirtutem quidem ſcientiam eſſe neget, non tamen ſine hac illam conſtare poſſe arbitratur. Etſi enim ſola uirtutibus propoſita ſit bonitas, & diſciplinis ueritas: cum tamen huius inquiſitioni ſit adiuncta boni cupiditas, non abſurdè uidentur appellari poſſe uirtutes, Scientia, ſapientia, ars & intelligentia, ſi prudentiæ actionibus inſeruiant, & boni inueſtigationem adiuuent: nõ autem ſoli rerum contemplationi uacent, cum uirtutis laus omnis in actione & uita rectè inſtituenda cõſiſtat. Prudentia igitur comites adhibeat intelligentiam, ad res cognoſcendas: ſcientiam, ad uerè percipiendas: artem, ad communem uitæ uſum: ſapientiam, ad rerum diuinarũ inueſtigationem: ut his adiutricibus ad ueri noticiam perueniat, ipſumq́ ſummum bonum atq; omnis ſapientiæ fontẽ uiuum de cœlo manantem, & in uitam æternam exilientem comprehendat. Iam

cum

cum ſingulis uirtutibus certæ quædam in animo ſedes, unde oriantur, attributæ ſint: prudentiæ datus eſt in mente locus, reliquis in uoluntate: cum prudentiæ ſit officium, quid in rebus agendis rectum prauū' ue ſit, inueſtigare, ac recta ratione diiudicare. quod quidem nō ingenio tantum, quamuis acri, ſed magna rerum plurimarum cognitione comparatur. & rectè dictum eſt, Longo prudentia ſurgit ab uſu: ut intelligamus habitum mentis, unde hæc ueri inquirendi ſolertia naſcitur, prudentiam dici, quæ ad uarias hominum actiones bene iudicandas longam uitam, & multarum rerum uſum ac memoriam, & præſentiū cognitionem requirit. Prudentem quoq; naturali quadam ueri perſpiciendi ac diiudicandi facultate præditum eſſe oportet, quà præſentia cernat, ac diligenter excutiat: præterita repetat, & futura præuideat: qua cōſultando, & ſolerter inquirendo ualeat: qua perſpiciēdo quid in quaq; re uerum, & quid agendum ſit, qua rectè iudicando, & quid pul-

chrum, quid turpe, quid utile ſit, callidè ſagaciterq́ ſtatuendo. Tres enim partes prudentiæ ſubijciuntur; ἐυβουλία, bonū conſilium: σύνεσις, perſpicientia ac ſolertia in conficiendo eo; quod recto conſilio inuentum eſt: & Gnome, ſententia ac rectum de rebus agendis iudicium, & conſtantia in eo quod æquum eſt. Prudentis igitur eſt (ut paucis complectar) præteritorum meminiſſe, multa ſcire, ualere conſilio, perſpicacem eſſe, & bene iudicare: ac præterea uitam agere non ſolum integram, uerumetiam, ut locus ac tempus in hac uita communi poſtulabunt, paulo cautiorem & diligentiorē. Ac de prudentiæ quidem officio, quod in actionibus humanis ſeruari debet, hactenus. Quoniam autem humanarum actionum uarietas in tria genera diſpartita eſt, ut aliæ ſint actiones ſingulorum, quæ ſunt uniuſcuiuſq; & communes: aliæ domeſticæ, quæ ad familiæ adminiſtrationem pertinent: aliæ ciuiles, quibus ad publicam hominum ſocietatem conſeruandam utendū eſt: triplex quoq; pruden-

prudentiæ uis intelligi poteſt. una communis omnium, quæ monaſtica dicitur: altera œconomica: tertia Politica, quæ omnium præſtantiſſima cenſetur, quod in bono maximè communi uerſetur, ad quam tamen ordine perueniendum eſt. neq; enim aut familiam aut rempub. bene adminiſtrabit, qui non ſit uir bonus, & morum præceptis inſtructus, atq; ad omnem uirtutem formatus & paratus ad rempub. ueniet, & rectè norit familiam gubernare. Trium harum moralis Philoſophiæ partium duas poſteriores, quamuis eæ ſingulatim ab Ariſtotele tradantur: hic tamen etiam, quòd à Prudentia gubernentur, quæ (ut in Partitionibus Oratorijs Cicero ait) in ſuis rebus Domeſtica, in publicis Ciuilis appellari ſolet, breuiter complectemur.

De Oeconomica. Cap. 13.

Dictum eſt de ea Prudentiæ parte, quæ in uniuſcuiuſq; hominis actionib. cernitur: nunc de ea dicendū eſt, quæ domeſticis officijs continetur, quam Græci uocant οἰκονομικὴν*, id eſt, ratio-*

nem bene gubernandæ familiæ, ſeu quæ eſt de tuenda re familiari. Verſatur enim hæc ratio in familia, tanquã in materia quã tractet: cui propoſitus ille finis eſt, ut prudenter ea pro dignitate cuiuſq; regatur. Omnis familia duabus ex partibus conſtat, homine & re familiari: homo cõplectitur patrẽfamiliâs ſeu dominũ, uxorẽ, liberos, ſeruos: res familiaris uerò domum et opes. Hæc ordine perſtringamus, & ab officio patrisfamiliâs, quòd is prima conſtituendæ familiæ ſit origo, principiũ ducamus. Debet igitur paterfamiliâs, quẽ natura ſtudioſum amicitiæ coniũctionisq; ac propagandæ prolis intelligimus, & ſcire & poſſe tueri ſocietatẽ uxoris ac liberorũ, & humanũ atq; beneuolum imperium retinere in ſuos tum liberos tum ſeruos: quorũ illi ſæpe ingenio liberaliori ſunt, hi plerunq; abiectiori. Conſtituta iam familia, quærendum eſt alimentum, uictus, ueſtitus ac tectum, quod ab intemperie cœli & beſtiarum incurſu defendat. Alimentum ſuppeditabunt agricultura, uenatus, aucupiũ,

piſcatus,

piſcatus, opificium. Iam cum paterfami liâs & uxor primariæ ſint, & efficientes familiæ cauſæ, liberi uerò & ſerui tanquã inſtrumenta quædam, omnesq́ in domo & re familiari ueluti materia uerſentur: nos hic primùm de domo ac re familiari pauca dicemus: deinde perſonarum, quæ modò nominatæ ſunt, indicabimus officia. Domus omnium primùm comparãda eſt, quam uitæ neceſſitas homines ædificare coegit, ut haberent quò ſe reciperent, ut aues in nidos, beſtiæ in latibula: fuerúntq́ initiò domus ad neceſſarium uſum extructæ, mox ornamenta paulatim acceſſerunt. Habenda primùm ratio eſt ipſius uſus & commoditatis, deinde dignitatis cuiuſq́. cauendus eſt in ædificando ſumptus nimius, & damnoſa magnificentia: & ne domus fundum, ut ille monebat, deſideret. Spectanda eſt loci ſalubritas et commoditas, aliaq́ multa quæ Victruuius & philoſophi, qui de re familiari ſcripſerunt, diligenter explicarunt. Atq́ hactenus de domo, deinceps de re familiari dicamus.

ea uel naturalis eſt, & omnium optima: ut agricultura, uenatio, piſcatus. uel artificioſa, quæ lucrum ſpectat: ut opificia & artes, quibus uictus quæritur. Sunt præterea aliæ partim liberales, partim illiberales: ut pictura, ut typographia, ut architectura, quæ & ingenio & manu perficiuntur. Ex his artibus, quæ multæ ac uariæ ſunt, ob uarias hominum neceſſitates inuentæ, Paterfamiliâs eam quã nouerit exerceat, & alimentum honeſtè ſine ullius iniuria ac fraude ſibi ſuiſq; comparet, uitet noxias & odioſas artes, quærat utiles. Odioſus quæſtus eſt, fœneratorun & publicanorum: turpis, etiam eorum mercatorum qui mendacijs ditantur, qui uoluptatũ adminiſtri ſunt. Quæſita paterfamiliâs conſeruet, & his frugaliter utatur: ſciatq; non minoris artis eſſe, quàm quærere, parta tueri. Atq; hæc breuiter de domo & re familiari perſtrinximus: nũc perſequemur officia domeſticorum, ac primùm patriſfamiliâs, de quo ſuprà cœpimus dicere. Prima huius cura erit, uxorem ducere, uitæ ac

fortuna-

fortunarum ſociam atq; participem, honeſtam, prudentem, opibus ſibi ferè parem, non ſuperbam, non moroſam, quæ & amari & amare poßit. eam non aliter ille quàm ſeipſum amabit, ſociam ac conſortem ut adminiſtrationis atq; laboris domeſtici, ſic & fortunarũ ac rerum omnium: & quidem ſolam indiſſolubili uinculo coniunctam amabit, atq; ut liberam decet, non nimis arctè, ſi modò nullius pudicitiæ iuſtus metus obſtet, continebit: nec tractabit illiberaliter, ſed honeſtè, piè, pudicè, benignè, clementer, ut ſe uirum Chriſtianum eſſe meminerit, caput quidem uxoris, ſed quam ut ſui dimidium diligere debeat, & ſuo etiam quodam iure ſinat uti. ſuſceptos ex uxore liberos diligenter educabit, ad uirtutem & pietatem teneros informabit, & bonis ac neceſſarijs artibus inſtituendos curabit: rem ſuo ſtudio & induſtria honeſtè & ſine inuidia quæret: & probatam rei faciendæ rationem tenere debet ſiue mercaturis faciendis, aut opificijs exercendis: ſiue alijs honeſtioribus

& liberalioribus opes & honores quærendi modis, qui plurimi ſunt, uictum & ſibi & ſuis miniſtrabit, ſi ſit opus quæſito. Quod ſi res non parienda labore, ſed à parentibus relicta ſit, eam diligenter tuebitur, & prudenter ac moderatè ſumptus faciet, habita loci & conditionis ratione: ut nec profuſus nec auarus habeatur, malitq́; ſemper & haberi & eſſe liberalior quàm ſordidior. Si dominus habet ſeruos, nouerit eis rectè uti, & inſtituet, humaniterq́; tractabit: ſin mercede conducti bona fide ſeruiant, horum opera utetur, & exercebit eos labore conueniente, non defatigabit: & alet ut oportet, curabit ut neceſſaria domus inſtrumenta, & in officio continebit, nec inſolenter efferri patietur. Pactā eis mercedem ſuo tempore benignè ſoluet. Si plures erunt ſerui, pro captu cuiuſq; uel digniori uel abiectiori muneri præficiendi ſunt. Vxor domum diligenter & aſſiduè curet, ac præſens rebus domeſticis adſit, obſeruet famulorum operas: maritum reuereatur, non difficilis & moroſa, ſed pudica,

&

& pudicè ancillas & liberos alioſq; omnes in officio paratos atq; tranquillos contineat: non ſuperba, non ſumptuoſa: neq; uerò ſordida, ſed decenti cultu pro opibus ornata. liberos honeſtè educandi cura ſit ei præcipua, rem familiarem augere ſtudeat, & labore paratam frugalitate conſeruare. Liberi ſuos parentes uereantur, ament, & (ut ipſe Deus præcipit) honorent, imperata faciant libenter, illis morigeri ſint in omnibus rebus. obtemperent quoq; præceptoribus, qui ſunt animorum formatores, ac ueluti alteri parentes. nam utriſq; idem propoſitum eſt, rectè inſtituere liberos. deſtinatis ſtudijs incumbant, ocium & uoluptatem in primis ut peſtes uitent: maiores natu, reiq; pub. tum ſacræ tũ prophanæ gubernatores, & uiros bonos ac ſapientes uereantur: eos uerò à quibus eorũ & lingua & pectus optimis artibus ad omnẽ humanitatem informantur, præcipua quadam beneuolentia colant. Serui ſubiecti ſint, & fideles dominis, dicto audientes, & ſemper ad imperiũ parati:
heros

beros ut parentes obſeruent, & ament: frugales, moderato uictu & neceſſario ueſtitu contenti, rem dominorũ augere uelint, nihil ſuffurentur: dominum patienter ferant, ſi moroſior erit: ſi facilior, ne contemnant. An Chriſtianis liceat habere ſeruos, & an aliqui ſint natura ſerui, quod Ariſtoteles affirmat, alijs diſputandum relinquo.

De Politica. Cap. 14.

QVemadmodũ ex ſingulis hominibus familia, ſic ex multis familijs Ciuitas cõſtat, de qua nunc dicemus. In repub. bene gerenda maximè cernitur Prudentia, ſine qua nulla hominum ſocietas regi poteſt. Politica ſeu Reſpub. definitur à Plutarcho in libro de Tribus reipub. generibus, ſtatus & ordo ciuitatis, in rebus gubernandis obſeruandus. Ciuilis hæc prudentia ciuium actiones præſcribit: ac tota in ciuium ſocietate defendẽda, uelut in materia, quam tractandam ſuſcepit, uerſatur: eumq́ ſibi propoſitum habet finem, ut reſpub. benè geratur, ac ciuium ſaluti conſulatur.

Diſcrimen hoc Ariſtoteles inter familiã & rempub. eſſe tradidit, ut in repub. ſit iuris æqualitas, qua ſummi cum infimis exæquantur: in familia uerò, dominus regis imperium habeat in liberos & ſeruos, ut ſubiectos, inter quos huiuſmodi æqualitas eſſe non poteſt. Rerumpub. ſex formæ numerãtur: tres bonæ, quas rex, optimates, & populus, iuſtè, atq; ad communẽ totius ciuitatis utilitatem accommodatè adminiſtrant: totidemq; prauæ, quas tyrannus, paucorũ factio, & plebs, pro ſua libidine regunt, omnia ad ſuum commodum rapientes. Nulla uidetur ullius gentis ciuitas eſſe, quæ non ad earũ aliquã referri poſſit. Eam rempub. quæ ex tribus illis quæ rectè inducantur conſtat, Cicero in libris de Repub. optimam eſſe arbitratur, quod ea præſtantior ſit, utilior & durabilior ſingulis. Apud Romanos, poſt exactos reges, uſq; ad Iulium & Auguſtum, reſpub. Democratica uidetur fuiſſe moderatione quadã Regni & Ariſtocratiæ ſic temperata, ut regia quædam maieſtas in Conſulibus emineret,

ret, Ariſtocratia in ſenatoribus, Democratia in tribunis plebis: ſed penes populum ſumma poteſtas eſſet. nunc regia monarchia prudentum conſilio ſtabilita, certisq́; legibus tẽperata meritò propter utilitatem ac tranquillitatẽ omnibus uidetur præferenda, præſertim cum non electione, ſed diuina quadam prouidentia natis iure ſanguinis regum ac principum liberis parentum ſucceſſoribus aut propinquis regna deferantur. Quoniã autem ciuitas ex multitudine ciuium iure uiuentium conſtat, quales eos eſſe oporteat oſtendamus. Bonus patriæ ciuis appellandus eſt, qui ciuilibus ornatus uirtutibus, & in primis iuſticia & fortitudine, quas prudentia & temperantia moderantur, officia non tantum domeſtica & familiaria, uerumetiã publica & domi & bello rectè exequi poſſit. Ad uirtutes docendas publicis præceptoribus opus eſt & probis & eruditis, quorum diligentia pueri ab ineunte ætate rectè inſtituti, præſtantes uirtute ac pietate, rerumq́; optimarum cognitione

utiles

utiles patriæ ciues euadant. Quod ſi parentum opes non ferant, ut filij per ociũ ſtudijs liberalioribus inſtituantur: proximũ eſt, ut aliquod opificij genus doceantur, quo uictum quærant. cauenda autẽ ſunt omnibus diligenter ocium & uoluptas: ſtudium ſemper, & honeſta atq; utilis exercitatio quærenda eſt tum animorum tum corporum. Efficiendum eſt omnibus bonis ciuibus, maximè uerò parentibus & præceptoribus, ut quoniam pueri & adoleſcentes facile quiduis imitantur, his uitæ integritate præluceant, ſintq; minoribus natu uirtutis exemplũ: auferatur omnis, quantum fieri poteſt, occaſio peccandi: remoueantur libidinis ac uoluptatis incitamenta: magiſtratui pareatur, ſi bonus eſt, ut patriæ parenti, cui diuinitùs data eſt poteſtas: ſin malus, patienter feratur, et ſine ſeditione modeſtè ſui officij, & ſuppliciter admoneatur. Leges obſeruentur, colatur in primis religio, pax inter ciues & cõcordia retineatur: caueatur omnis diſcordiæ cauſa, ſua quiſq; curet, nec ad rempub. niſi uocatus

accedat:

accedat: quieti ſemper conſulatur, uectigalia ſoluantur: patria cuiq; ſit chariſſima, pro qua nec mortem, ſi ſit opus, oppetere bonus ciuis dubitabit. Patriæ enim prima poſt Deũ charitas debetur, ac magiſtratui: proxima parentibus & cognatis; tertia ciuibus iuris communione ſociatis: Peregrini ſua tractent negocia, nec aliena curioſius inquirant: modeſtè ſe gerant. Magiſtratus officium eſt, prudẽter rempub. gerere: moderatè ac ſcienter ijs, quibus præeſt, uti (quod efficere nõ poterit, niſi uir cordatus, & qui conſilio ac ſano iudicio plurimum ualebit, ut ſapiẽs & prudens) tueri leges, ut obſeruentur, quibus & ipſe parebit: pro dignitate perſonæ, quam induit, ſe gerere decent r, humanè, modeſtè, iuſtè, non ſordidè, non auarè, non ſuperbè, non moroſè, non crudeliter: ius æquum omnibus dicere, nihil iræ aut gratiæ tribuere: clementem ſeueritatem & æquitatẽ in animaduerſionibus ac ſupplicijs adhibere, ne eadẽ de re accuſatos alios aſperius, alios mitius (niſi quid obſtet, quod ita cogere faciat inuitum)

tum puniat: curare ex æquo ciues om-nes & diuites & pauperes, nobiles igno biles, arbitrari ſe patrem eſſe reipub. pro curare ciuitati neceſſaria, ut annonam, ſi fortè inopia & caritas rei frumẽtariæ timeatur, ut alia quibus in difficilibus reipub. temporibus eſt opus: maximã uerò tum rationẽ habeat pauperum, cùm neceſſitas maximè premit, præſertim popularis, qualis eſt annonæ difficultas. Peregrinos atque aduenas & incolas hu manè atq; benignè tractare, ne malè apud exteras nationes ciuitas audiat; deniq; curas omnes ad ſalutem reipub. referre: huius commodis utilitatibusq; ſeruire, huius dignitatem in primis & decus ubiq; conſeruare. Et quoniam unus omnia munia ſuſtinere non poteſt, pluribus ad uaria officia magiſtratib. opus eſt; quorum tamen omnium idem ſtudium eſſe debet, conſulere ciuium commodis, & eorum utilitati ſalutiq; ſeruire diligentius quàm ſuæ. Quod ſi fortè bellum ſit gerendum, cùm nihil eo pernicioſius reipub. diuinitùs immitti poſſit: retineatur

illud Terentianum, Cōſilio omnia prius experiri, quàm armis, ſapiētem decet. Si non poteſt euitari, quod in omnes intenditur periculum, prudenter adeundum eſt, fortiterq́; propulſandum. ſed nullum, niſi iuſtum, ſuſcipiendum eſt bellum: ad quod bene gerendum, adhibenda eſt præparatio diligens: quærendi ſtrennui duces, & rei militaris periti: nec fortes modò, ſed prudentes etiam, & callidi: maturè conquirendi milites, & eorum delectus habendus: conficienda eſt pecunia, quæ uerè neruus belli dicitur: cōtinendi milites in officio, quibus ut imperari poſſit, ſuo tempore ſtipendium ſoluendū eſt: cauendumq́; ne ſpolient eos, ad quos defendendos conducantur: quod ex ueteri querela tum ruſticorum tum oppidanorum, quibus illi præſidio ſcilicet eſſe debebant, quàm crudele ſit & graue, miſeræ plebi nimis notum eſt. Non conuenit, magiſtratū rei militaris eſſe omnino rudē aut inexpertum. & quamuis hoc tēpore longè ſit alia quàm ueteribus fuit belli gerendi ratio, propter nouum illud

tartareæ

tartarei fulminis inuentum: plurimùm tamen prodeſſe poterunt ueterum de re militari libri, uelut Flauij, Vegetij, Iulij Frontini, Aeliani & ſimilium, quorũ lectione magna rei militaris ſcientia comparabitur: quæ ſi confirmetur ueteranorum ac fortium militum, qui multis bellis interfuerunt, atq; ducum ſtrennuorũ ac prudentium experientia, qui bellicas artes uſu longo didicerunt: quis dubitet eam fore abſolutiſsimam? nec minus hæc ſciẽtia ciuitati uidetur neceſſaria, quàm togata prudentia, aut alia quæcunq; ſit ars ad uitam utilis. Cum enim tria ſint in repub. hominum genera: ut magiſtratus, qui bene ac iuſte regant: ut Imperatores & milites, qui fideliter ac fortiter defendant: ut artifices & liberaliũ & illiberaliũ diſciplinarum, qui neceſſarijs & utilibus artibus iuuent: omnibus tamẽ idem ſtudium eſſe debet amabilis concordia conſeruandæ reipub. Ac de politica prudentia hactenus.

De uitijs prudentiæ contrarijs. Cap. 15.

Vitium prudentiæ contrarium, eſt imprudentia, quæ cõtraria quoq; ratione definiri poteſt inſcicia diſcernendi res bonas & malas, ſeu uerum inueſtigandi ſeu dijucandi quid agendum fugiendum'ue ſit. Commune hoc malum eſt uitijs omnibus, ſicut prudentia uirtutibus, quòd nulla uirtus conſilio prudentiæ carere poſſit: omnisq; iniuſtus & ignauus & intemperans, idem imprudens dici debeat. Imprudentiæ comites ſunt, error animi, & temeritas recto iudicio cõtraria: multumq; fortunæ tribuit imprudens, quam ut numen colit, cum ratione atq; conſilio non utatur: & affectibus indulgens ea ſæpius admittit, quorũ poſtea pœniteat: uel cõtrà per ignauiam ac negligentiã nec liberos nec coniugem curat, nullam in familia diſciplinã, nullam authoritatem retinet. Talis in reipub. ſi magiſtratus erit, improbi datã ſibi licentiam peccandi arbitrabuntur: ſi talis Imperator, ignaui milites reddentur,

tur, etiam illi quos acceperat ſtrenuos; quales ante Numantiam Scipio Aemilianus offendit, quos ad priſtinam uirtutem reſtituta militari diſciplina reuocauit, nullamq; rei bene gerẽdi occaſionem prætermiſit. Eſt etiam calliditas uitium, quod ſimulatione uirtutis fallit incautos: cui cum non ſit propoſitum inueſtigare uerum, prudentia dici non poteſt, ſed ſubdola & uerſuta prudẽtiæ imitatrix: quæ tamen interdum uirtus habetur, ſi ad bonum finem referatur. Sed cognitis prudentiæ partibus & actionibus, nõ erit difficile cõtrarias uidere: uerùm diligenter cauẽdum eſt, ne fallant ea nos uitia, quæ uirtutem imitari uidentur. Eſt ipſa quidem uirtus, inter duo ferè extrema mediocritas, ſed quorum alterum apertè uitium eſt, facileq; cernitur: ut cũ prudentiæ opponitur imprudẽtia, iuſticiæ iniuſticia, fortitudini ignauia, temperantiæ intemperantia, liberalitati auaricia. Alterum uerò huic uirtuti finitimum uitium eſt, nõ ita facile cernitur, ut cum prudentiæ malicia tribuitur, iu

 ſticiæ

ſticiæ acerbitas, fortitudini audacia, tēperātiæ immanitas in uoluptatibus aſpernandis: liberalitati effuſio, perſeuerantiæ pertinacia. Ouidius:

Et mala ſunt uicina bonis, errore ſub illo
Pro uitio uirtus crimina ſæpe tulit.

De iuſticia. Cap. 16.

IVſticiā Cicero dominā omniū, & reginā uirtutū uocat: & definit habitū animi, qui cōmuni utilitate conſeruata ſuā cuiq; tribuit dignitatē: & affectionē animi, quæ ſuū cuiq; tribuit, ac ſocietatē cōiunctionis humanæ mirificè & æquè tuetur. Definitur etiā ab eodē, æquitas, ius ſuū cuiq; tribuēs pro dignitate cuiuſq;. Ariſtoteles appellat animi affectionē, qua homines apti ſunt ad iuſte agendū, qua & quæ iuſta ſunt & uolūt & agūt: eodemq; modo iniuſticiam, qua iniuriā faciunt, & ad res iniuſtas ultrò impellūtur: Iuriſconſulti, conſtantem & perpetuam uoluntatem ſuum cuiq; tribuentem. Verſatur enim iuſticia in diſtribuendo iure tanquam in materia, ut æqualitas, quam ius parit, conſeruetur. Vitia con-

contraria ſingulis ſunt, huic iuſticia, illi iniuria: fortitudini & temperantiæ plura. Nihil eſt hac uirtute magis ad conſeruandam generis humani ſocietatem neceſſarium, nihil naturæ, quæ nos ad omnem humanitatem mutuamq́ beneuolentiam informauit, conuenientius. Quod ſi ad hanc ſocietatem (ut eleganter libro primo Cicero de Legibus probat) nati ſumus: ad iuſticiam quoq;, ſine qua ſocietas illa, coniunctioq; conſtare non poteſt, natos eſſe nos fatendum eſt: eamq́ naturaliter inſitã nobis tanquam facem prælatã ad iuſtas res agendas fugiendaſq́ cõtrarias, rectæ rationis iudicio Dei conceſſu ac munere datam: quæ ſi agendi conſuetudine confirmetur, tum demũ habitus uirtutis, cuius tanquam paruos igniculos natura dedit, & perfectio comparabitur. Quod de mediocritate iuſticiæ quæritur, eſt illa quidem (ut Ariſtoteles cenſet) mediocritas: ſed aliter atque reliquæ uirtutes morales inter utrumq; extremum poſita, quæ refertur ad ius & æqualitatem: in qua cõſeruan-

da uerſatur, ſicut iniuſticia in inæqualitate & iniuria, perturbatrix æqualitatis & iuris.

De partibus iuſticiæ. Cap. 17

IVſticiæ partes duæ ſunt. una, communis & uniuerſa, quæ in conſeruanda humanæ ſocietatis. qualitate uerſatur, & commune bonum ſpectat, docetq́ legem ut æquitatem colere: altera, priuata, quæ in reddendo quod debetur cuique, cernitur. eaq́ duplex eſt. una, quæ in commercijs ac negotijs æqualitatem cõſeruat, quæ uulgò commutatiua dicitur: altera, quæ in diſtribuendis honoribus pro cuiuſq́ dignitate, quam diſtributiuam appellant. Iuſticiæ cõmunis officiũ eſt, legem & æquitatem conſeruare, ex quo iuſtus appellatur, qui legibus omnibus obtemperat. Lex definitur à Cicerone, ratio inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetq́ contraria: itemq́ recta, & à numine deorũ tracta ratio, imperãs honeſta, prohibens contraria. huc omnes referantur leges, inſtituta, mores, iura ad reipub. conſer-

uationem

uationem neceſſaria: in quibus obſeruandis iuſticia cernitur, in uiolandis iniuſticia. Legi ſe coniungit æquitas, quæ rectũ ſecuta rationis iudicium, legem ſcriptã moderatur, & ſeueritatem acerbiorem prudenter pro loco, tempore & hominũ ingenijs mitigat, optima legum omnium interpres. Iuſticiæ priuatæ pars illa, quæ diſtributiua dicitur, ad magiſtratus potiſſimùm pertinet: quæ non tantũ in officijs & muneribus tribuendis, uerumetiam in pœnis conſtituendis uerſatur, ut æquali iure ciues regãtur, boniq; præmijs, & mali ſupplicijs afficiãtur. Eſt hoc quidem magiſtratus officium: ſed huius uirtutis cognitio omnibus eſt neceſſaria, ut ſuum quiſq; locum quem in repub. teneat: & munus, quo fugiendũ ſit, intelligat: ſuumq; tribuat ac relinquat cuiq; & locum ut munus, ſeq; norit ipſe, nec inſolentius efferat. Hæc uirtus, quoniam æqualitatẽ conſeruare maximè ſtudet, geometricæ proportioni cõparatur, in qua maiorum minorumq; numerorũ æqua ratio ſpectatur. Ea uerò pars, quam com

mutatiuam appellant, in commercijs hominum uerſatur, & ſuum unicuiq; tribuere docet, ut res pro rebus, preciũ pro merce detur, ſumma æqualitate conſeruata: habetq́; hæc magis debiti retribuẽdi rationem, quàm honoris digniori diſtribuendi: quamobrem & cũ Arithmetica proportiõe confertur, quod in hac numeri, in illa rationis obſeruetur æqualitas. Hæc in contractibus, quos explican Iuriſconſulti, ſpectatur: illa in honoribus & pœnis, quæ conſtituuntur à magiſtratibus. Ac de uniuerſo iuſticiæ genere, eiusq́; partibus, hactenus. Sed quoniam his aliæ ſex partes à Cicerone definitæ in libris de Inuentione ſubijciũtur: religio, pietas, obſeruantia, ueritas, uindicatio, gratia, quibus addentur liberalitas, magnificentia, amicitia, & ſingulis contraria uitia: de his etiam dicendum eſt. Hæ uirtutes, quoniam rationis æqualitate conſtant, diſtribuenti iuſticiæ ſubijciendæ uidentur, ſicut omnis contractuũ uarietas commutanti.

De ſex iuſticiæ partibus à Cicerone poſitis, earumq; uitijs, atq; alijs nonnullis quæ ſunt illis cognata. Cap. 18.

Cicero libro ſecundo de Inuentione, iuſticiæ tres partes ſubiecit: Ius naturæ, conſuetudinis, & legitimum. ac naturæ legem definit, quòd nobis non opinio, ſed quædam innata uis afferat. cuius partes numerat ſex, quas modò poſui. Religio, eſt iuſticia erga Deũ, ſeu pietas qua Deum colimus: ita nominata, ut Lactantius libro quarto ſcribit, à religando, quòd hac conditione gignamur, ut generãti nos Deo iuſta & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum nouerimus, hunc ſequamur: hoc uinculo pietatis aſtricti Deo, & religati ſumus. Plutarchus religionem interpretatur, ſcientiam rerũ diuinarũ: nos uirtutẽ, qua iuſtus ac uerus Deo tribuitur cultus. Quã ut omnium uirtutũ, ita & iuſticiæ fundamẽtum, atq; adeò parentem rectè uocabimus: nihil hac uirtute ad conſeruandã rempub. uitamq́; iuſtè, ac fraudis expertem

pertem inter ciues agendam magis neceſſarium eſt, cum nulla uis alia magis arceat homines ab omni improbitate, quàm ſi ſenſerint peccantibus à Deo paratum ſibi ſupplicium: & piè ac iuſtè uiuentibus, aditum ad cœlum atq; ad fœlicitatem æternam datum. Nulla fuit unquam gens tam barbara, quæ non aliquam religionem, quamuis falſam coluerit, & numinis alicuius metu ab iniuria ſit prohibita, cum iuſiurandũ ad conſtringendam fidem uinculum arctiſſimum haberetur. Quid Chriſtianos facere par eſt? quibus fides eſt omnis religionis fundamentũ ab IESV *Chriſto Domino & ſeruatore noſtro, & ſanctis apoſtolis, eiusq; ſucceſſoribus ita poſitum, ut nulla nec humana ui, nec inferna poſſit euerti: quid (inquam) facere par eſt eos, quibus cum uirtute uiuentibus certiſſimam uitæ fælicis ac ſempiternæ ſpem Deus ipſe dedit: cuius promiſſi fiducia quis uerè pius pro ſancta religione uel mortem oppetere, ſi ſit neceſſe, dubitabit? Quàm facile ab omni iniuria abſtinere*

tur,

tur,ſi illud Seruatoris Dei ac Domini noſtri præceptum omnium animis eſſet altius infixum: Quod tibi fieri nolis, alteri ne faceris. quam ſentētiam homines ſapientes etiam à noſtra religione diſsidentes, ita ſunt admirati, ut nihil diuinius, nihil ad hominum ſocietatem conſeruandā utilius tradi potuiſſe iudicarent. Religione contraria eſt ſuperſtitio, nimia religio, quæ non ut oportet, numen diuinū colit, ſeu uanus & inanis Dei cultus: quo uitio deteſtabilior etiam peſtis eſt impietas aduerſus Deum, ac religionis contemptio: quà fides omnis euertitur, qua periuria, quà ſacrilegia, confirmantur.

De pietate. Cap. 19.

SEcundo loco numeratur à Cicerone pietas, quæ tametſi definiatur interdum ab illo, iuſticia aduerſus deos, ut ſit eadem quæ religio: tamen ſæpius accipitur pro iuſticia erga parētes, ſeu grata uoluntate in parentes. Sed in Rhetoricis abſolutius definita eſt pietas, per quam ſanguine coniunctis, patriæq́, beneuolis officium, ut diligens tribuitur.

tur.

tur cultus. Itemq́ alibi: Pietas eſt, quæ erga patriam aut parentes, aut alios ſanguine iunctos officium conſeruare moneat. Rectè uirtus hæc proxima religioni adiungitur, quòd primus Deo tribuendus ſit cultus, proximus parentibus & propinquis, & in primis patriæ, quam Cicero omnes charitates unā ait eſſe complexam. Contrarium pietati uitium eſt impietas, in eos quibus beneuolentia & charitas debetur. Aduerſus hoc tam deteſtabile ſcelus, cum ignotum adhuc eſſet parricidij nomen, legem ferre neceſſe non fuit: poſtea uerò quàm exorti ſunt, qui naturæ legem uiolantes, & beluis immaniores, eis unde uitam acceperant, uim & manus inferrent, ſancita lex eſt aſperrima. de qua in Pandectis ſub tit. ad l. Pompeiam, de parricidijs.

De obſeruantia. Cap. 20.

OBſeruantia eſt, per quam ætate, aut ſapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reueremur & colimus. Id enim naturæ lege præſcriptū Deus ipſe iubet, ut parentes & magiſtratus,

ſtratus, quos ille præeſſe uoluit, iuſto cul tu atq; honore dignemur. Hæc obediētia uirtus adeò neceſſaria eſt, ut ſine ea nec domus, nec ciuitas, nec ulla ſocietas permanere poſſit. Contrarium obedientiæ uitium quàm ſit perniciosum, primorū totius generis humani parentum grauiſſima ruina, quæ totū genus humanum afflixit, documentū nobis dedit. Oritur hoc uitium ex ſuperbia et arrogantia atque φιλαυτίᾳ, *qua quis ipſe de ſe bene exiſtimans, ſeſeq; diligens, nimium ſibi placet. Nihil autem eſt & Deo et hominibus odioſius ſuperbia. ſemp enim, ut Latinus tragicus ait, ſequitur ſuperbos ultor à tergo Deus. Teſtatur idem irreparabilis ille, et quo nullius grauior unquam fuit, malorum Geniorum caſus.*

De ueritate. Cap. 21.

VEritas eſt, inquit Cicero, per quā immutata ea quæ ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur: ſeu, rectus animi habitus, quo quis & uerum ſiue affirmando ſiue negando dicit, & nihil ſimulat falſum: unde uerax appellatur.

latur. Neceſſaria uirtus eſt ad negotia cõtrahenda, in quibus fides dominari debet, quæ definita eſt dictorũ factorumq́; conſtantia & ueritas: nec aliud eſt in rebus, rationibusq́; contrahendis ueritas, quàm fides: quæ ſi diligenter obſeruetur, propriũ iuſticiæ munus explebitur: quod eſt, ſuum cuiq; tribuere. Veritati contrarium uitium eſt mendacium, idemq́; ſophiſmatum calumniæ, omnisq́; fraus & ſimulatio. Impium & pernicioſum reip. mẽdacium eſt. nam & hominem à Deo, qui uerax eſt, omnisq́; ueritatis fons, auertit, ac diabolo conciliat, mortemq́; animæ ſempiternam affert: & humanam ſocietatem fraudulenta negotiatione uiolat, odiaq́; ac diſſidia mẽdaci lingua concitat. Simulatio quoq; indigna eſt bono uiro, qui non aliud dicit ac ſentit: nõ laudat præſentem, quem uituperat abſentẽ: non dolo malo, ſed prudenter, ſi ſit opus, ſimulat aut diſſimulat.

De uindicatione. Cap. 22.

VIndicatio eſt, inquit Cicero, per quam uis, & iniuria, & omnino quic-

quicquid obfuturum eſt, defendēdo aut ulciſcendo propulſatur. Et uindicatio, per quam aut contumeliam defendendo aut ulciſcendo propulſamus à nobis. Sed hæc poſterior definitio nobis ideo parũ cõmoda uidetur, quòd ultionē priuatã cõtineat, ab illo etiã probatam libro 1. Officiorum: quam ſcimus non ſolum à Chriſtianis, uerumetiam à profanis philoſophis, noſtræq́ religionis ignaris improbari, qui natura legem ſecuti iudicarũt melius eſſe pati quàm facere iniuriã: propterea quòd illud iuſtè fiat, hoc ſine iniuſticia fieri non poſſit, ut Ariſtoteles etiam docet lib. 5. Ethicorũ. illud quoque patiētiæ tribuatur, uidelicet inſigni uirtuti: hoc aũt uitio cõtrario. Nec uerò quiſquã putare debet aliud eſſe cõceſſum, quàm ut (ſi euitari non poſſit) uim ui repellat: idq́ defendēdi, nõ lædēdi aut ulciſcendi cauſa. Animus enim nocendi iniuſtũ facit: legitima uindicatio magiſtratib. qui ſunt legũ miniſtri, diuinitus cõmiſſa eſt: adempta uerò priuatis, quib. nullum eſt uindicandi ius datum.

De gratia. Cap. 23.

GRatia, quæ uulgò gratitudo dicitur, eſt, inquit Cicero, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, alterius remunerandi uoluntas continetur. Idem: Gratia, quæ in memoria & remuneratione officiorum & honorum & amicitiarum obſeruantiam teneat. Breuius definitur, Grati animi fidelis memoria, ſeu uolũtas referendæ gratiæ ac beneficij memor: & fortaſſe commodius, quòd hæc uirtus in accipiẽdo magis quàm in dãdo uerſetur. Nã dare, liberalitatis eſt: accipere libenter, & referre uelle, gratiæ proprium eſt. Illius eſt, dati beneficij obliuiſci, nec ſperare remunerationẽ: huius uerò, meminiſſe, et cum datur opportunitas, etiam cũ fœnore, ſi poſsit, ac bene collocari beneficium intelligat, & quidem promptè uelle reddere, & tamen perpetuam retinere beneficij memoriam. Vtrobiq; uidendum eſt, ut quod uel datur uel redditur, utile ſit & commodum ei cui datur uel redditur, & iuſtè partũ, ne de

alieno

alieno liberales & grati ſimus. Cõtrariũ gratiæ uitiũ uulgò dicitur ingratitudo: quæ definiri poteſt, obliuio accepti beneficij: & uel inuita, uel nulla, uel (quod omnium peßimum eſt) mala relata gratia: quæ maxima iniuſticia eſt, qua nihil omnibus odioſius eſſe poteſt.

De miſericordia. Cap. 24.

Commodè uidetur his adiungendâ miſericordia, gratißima Deo uirtus. Vt enim debemus amorem, ueritatem & fidem omnibus, pietatem paucis, uindicationem mala inferentibus, gratiam bene meritis: ita miſericordiam mala patientibus. Miſericordiam autem hic non ægritudinem uoco, aut, ut Seneca, uitium animorũ nimis miſeriæ fauentium: ſed uirtutem, per quã animus miſerijs & calamitatibus alterius mouetur ad ſubueniendum afflicto. Miſericordia definitur à Cicerone, ægritudo ex alterius reb. aduerſis: à Seneca in libris de Clementia, ægritudo animi, aut triſticiâ ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit. Sed hanc ille ui-

tium eſſe probare conatur: Ergo, inquit, non miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret, ſed proderit, in commune auxilium natus, ac publicũ bonũ, ex quo dabit cuiq; partem. Sed nos, ut dictum eſt, uirtutem miſericordiã intelligimus, ad quã Chriſtus nos exhortatur exemplo patris cœleſtis, & ſuo, Lucæ 6. & : Diſcite à me, quia mitis ſum. quæ nullis unquam laudibus ſatis extolli poteſt: & certè Sacris literis nobis magnificè cõmendatur. Quis uerò mortalium, Dei patris & Chriſti domini noſtri infinitam miſericordiam uel mente cõcipere, nedũ uerbis explicare poſſit? Hæc uirtus hominem ad beatitudinem prouehit. Chriſtus beatos uocat miſericordes, quòd hi miſericordiam ſint conſecuturi, Matthæi 5. apud quem capite 25. ſex officia miſericordiæ breuiter indicantur.

De liberalitate: & huic contrarijs uitijs, auaricia & effuſione.

Cap. 25.

L*Iberalitatẽ Cicero in primo Officiorum libro, alteram iuſticiæ ſpeciem*

facit,

facit, quam eandem & beneficentiã & benignitatem appellat: quæ non incommode uidetur hoc loco ſuperioribus iuſticiæ partibus adÿcienda. Quamuis enim hæc uirtus in dando, non ut illa in reddẽdo quod debetur (id quod propriũ eſſe iuſticiæ uidetur) poſita ſit: quia tamẽ ſeſe ad alios, ut iuſticia, diffundit, & hominũ utilitatẽ ſpectat, inter iuſticiæ partes referre licebit. definiri poteſt liberalitas, benefica uoluntas gratificãdi, ſeu liberalis de aliquo benemerẽdi uolũtas. Verſatur hæc, ut Cicero ait, in uſu pecuniæ, quam honeſtè, atq; ut oportet, animo liberali ac pio largiri, proprium eſt liberalitatis. Requiritur enim primum omniũ libera dãtis uolũtas, ne opiniõe utilitatis animus à beneficentia retrahatur. Dandum igitur eſt, quia ſcimus id gratũ eſſe Deo, nullam expectantes remunerationẽ. Dandum eſt prudenter cum res & locus poſtulabit, ei in quem bene collatur beneficiũ, qui nõ ad perniciem uel ſuam uel aliorũ ſit abuſurus: & de noſtro dandum, non de alieno. nã liberalitas nocere nemini

 debet,

debet, prodeſſe autē beneficio dignis: & dādum pro dignitate cuiuſq;, ac merito, & indigenti magis quàm diuiti: nō quā tum fortaſſe uelis, ſed quantum poſſis, ne liberalitas in effuſionis uitiū digeneret, & tū deinde incipias egere, atq; amicis tuis eſſe moleſtus: & uoluptatē, quæ uirtutis comes eſt, amittas, cōtraq; dolorem uitioſitatis comitē accipias. Et quamuis diuites liberalitatis munus exequi poſſint facilius, tenuiores tamē etiā liberales eſſe poſſunt: quorū benefica magis uo luntas, quàm ipſum beneficium ſpectari debet. Cicero libro de Officijs, duo liberalitatis genera conſtituit. unū, quo quis egenti pecunia ſubuenit: alterū, quo opera aut cōſilio iuuat. Liberalitati contraria ſunt uitia duo, auaricia atq; illiberalitas, et effuſio atq; luxuria: quarum illa defectus liberalitatis eſt, hæc uerò exupe rantia, inter quæ uitia liberalitas media eſt. Auaricia definitur nimiū pecuniarū ſtudium, quibus ad ſuum commodū anxiè congeſtis auari nec ſibi nec alijs proſunt: quæ rectè appellatur in Sacris literis

ris omniũ malorũ radix. ex qua furta, rapinæ, latrocinia, fraudes, proditiões, diſsidia, bella fruticãtur: & quid nõ morta lia pectora cogis auri ſacra fames? Inexplebilis eſt illa pecuniæ cupiditas, & dirus hydrops: cui quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Nam creſcit amor nũmi, quãtum ipſa pecunia creſcit. Miſerrima eſt omnino hæc ſeruitus, & abiectiſsima, ſemper anxia, ſemper timida, nunquam tranquilla, nunquã contenta. Auariciæ uitio cõtraria eſt effuſio, quam prodigalitatem appellant: quod ipſum quoq; uitiũ eſt, et liberalitati repugnat. ut enim auarus in accipuẽdo & retinẽdo nimius eſt: ita cõtrà prodigus in largiẽdo modũ trãſit. Definiri igitur effuſio poteſt, immoderata, ac nullã iuſtam ob cauſam facta largitio. Eſt hæc quidem uitioſa, ſed facilius ad liberalitatem reuocari poteſt, quàm auaricia: quòd illa ſoleat alijs prodeſſe, hæc nulli, ac ne ipſi quidẽ poſsidẽti. Huic ſæpe iuuenilis ætas obnoxia eſt, illi ſenilis. Parſimonia itẽ, ut liberalitas, ijſdẽ eſt interiecta uitijs, effuſiõi & ſordibus Hic

parcus ſeu frugalis, nec prodigus nec tenax dicitur. Parſimonia eſt diligens eorũ quæ parta ſunt, cuſtodia, ac moderatio ſumptuum. Ex quo dictum eſt, Magnũ uectigal parſimonia.

De magnificentia. Cap.26.

LIberalitati ſubijcienda uidetur magnificentia: quòd nihil aliud ſit, quàm liberalitas quadã amplior. quæ definitur à Cicerone, rerũ magnarũ & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitiõe agitatio & adminiſtratio: hinc magnificus, ſplẽdidus, et qui magna facit. Hæc uirtus nõ eſt pauperũ, qui magna & admiranda præſtare non poſſunt: ſed diuitũ, uelut regum & principum: quibus tamen cauendum eſt, ne inanis gloriæ cupiditate magis quàm uirtute impulſi, nec Dei uoluntatẽ, nec hominum utilitatem præcipuè reſpicientes, ne extra modum ſumptu & magnificentia prodeant. nam & huic uirtuti uitia duo ſunt. unũ, quod μικροπρέπεια dicitur, anguſti animi opera, ac ſordida magnificentia, quod auariciæ cognatũ eſt: alterum,

terum, βαναυσία, id eſt immoderata magnificentia ac luxus, quæ reſpondet effuſioni.

De amicitia. Cap. 27.

INter iuſticiæ partes amicitia quoque numerãda eſt: de qua cùm Ariſtoteles, & poſt eũ Cicero copioſe diſſeruerint, nos hic ea breuiter, quæ neceſſaria uidebuntur, perſtringemus. Eſt igitur, ut ait Cicero libro primo de Legibus, omnis amicitiæ uis in uoluntatũ, ſtudiorũ, ſententiarumq́ cõſenſione. & in Lælio: Nihil aliud eſt, inquit, amicitia, niſi omnium diuinarum humanarumq́ rerum cum beneuolentia & charitate ſumma cõſenſio: quã ait uirtutũ adiutricem à natura datã, non uitiorum comitem: eamq́ ex amore nominatã, & ab ipſa natura ortam: ut naturalem intelligamus amorẽ, quo homines inter ſeſe cõiungũtur. Et quoniã, (ut etiã ex literis Sacris, quibus naturæ lex in hac re cõprobata eſt, cognouimus) homo homini beneuolentiã & amorem debet, cum & reliquæ animantes in ſuo quæq; genere amicitiam colere, aut certè

beneuolentiã conſeruare uideantur: dubitari non poteſt, quin amicitia ad iuſticiam ſit referenda, quæ & ad uſum uitæ maximè neceſſaria eſt, & ipſam cõtinet rẽpub. Quid ab amicitia diſtet beneuolẽtia, docet Ariſtoteles libri noni cap. 5. beneuolentia poſſe nos etiam cũ ijs eſſe coniunctos, quos ignoramus: eamq́; occultã eſſe poſſe, amicitiã nõ poſſe: principiũ aũt & fontem amicitiæ eſſe beneuolentiam. Ex cuius ſentẽtia ſic definitur amicitia, ut ſit beneuolentia aperta. Amicitia duplex eſt. una, uera et ſincera, atq; ex uirtute profecta, quæ eſt inter bonos: altera, ficta & uulgaris. quæ duplex eſt. aut enim utilitate cõciliatur, aut uoluptate. Finis igitur amicitiæ ueræ eſt, honeſtum: fictæ, utile uel iucundum. Voluptas pueros & adoleſcentes coniungit, utilitas mercatores et his ſimiles: at uirtus bonos uiros, qui uerè ſunt amici, & permanẽt etiam poſt mortem, illi uerò ad tempus amant. Vera igitur amicitia quoniã ex uirtute naſcitur, inter improbos eſſe nõ poteſt: uelut inter fures, inter latrones, prædones,

proditores, coniuratos: quãuis interdũ arctiſsimo uinculo coniuncti uideãtur. nec ſatis etiam firma eſt inter eos, qui nec moribus, nec ſtudio, nec uolũtate, nec opi nionibus, nec opibus (quanquam hæ nõ ſemper obſtant amicitiæ, ſicuti nec ætas) nec dignitate ſunt pares. Inter principes & eorum familiares omnem ferè amici tiã extinguit aſſentatio quorundã au-licorum, omnia Principum & dicta & facta quamuis ridicula approbantium, dum quæſtum, honorem & fauorem captant. Firmior ergo amicitia, magisq́; ſin cera eſt inter pares, animorum conſen-ſione coniunctos, idem & uolentes & no lentes, quos idem quoq; ſtudiũ delectat. Sed hæc amicitia inter plures eſſe non poteſt: paucorum eſt arctiſsima illa neceſ ſitudo: qualem fuiſſe legimus inter eos, quorum uix quatuor aut quinq; paria numerantur: & fortaſſe difficile eſſet in uenire plura. quos certè conſtat fuiſſe cõ iunctiſsimos, de quibus uerè dici poſsit, Amicus alter idem, quorum unus duorum ſit animus. Quamuis autem boni

uiri

uiri ſæpe multos habeant amicos, & his bene uelint, à quibus ipſi quoque amantur ex animo: tamen ſummam illam animorum ac uoluntatum ſtudiorumq; conſenſionem cum uno tantum atq; altero, aut certè cum perpaucis cõmunicatam habent. Perrara eſt illa uera amicitia: qualis fuit inter illa pauca, & toties decantata uerorũ amicorum paria. Quoniam autem ex amore amicitia oritur, gradus autẽ amoris ſunt diuerſi, plures etiam amicitiæ gradus cõſtituendi ſunt. ex quibus primus eſt, parentum ac liberorum: ſecundus, fratrum & propinquorum: tertius, beneficorum & ciuium: poſtremus, omniũ hominum. Sed omnes omnium amicitias, ipſorum etiam parentum & liberorum, longè interdum uera illa amicitia ſuperat, quæ paucorum eſt. qualis ille fuit amor inter Pyladem & Oreſtem, Damonem & Pythiam: de quibus uide Valerium Maximum libro 4. capite 7. Hæc autem uera amicitia non ſubitò fit perfecta, ſed ſuos habet progreſſus: donec longo tandem amoris intimo pectore

pectore inſidentis uſu, & ſumma familiaritate atq; amabili cõſuetudine confirmetur. Quare deligendũ eſſe aiunt, quẽ uelis diligere: admonẽtes eo dicto, ne temerè ſine delectu ac facile quẽuis in amicitiam recipiamus, quem eadem poſtea temeritate leui de cauſa relinquamus, ne magis impetu quodam amoris, quàm conſilio, adducti ad amicitiam fuiſſe uideamur. Id uitium ut euitetur, ad ineũdam amicitiam tardiſſimus, ad retinendam conſtantes. Cauenda igitur ea ſunt omnia, quæ ſolent amicitias labefactare: ut contentiones, acerba iurgia, contemptus, moroſitas, ira, inuidia; æmulatio, &c. Sed admonere citra acerbitatem, & admoneri, proprium eſt amicitiæ. Neq; enim putandum eſt, eos uſquã inter homines reperiri amicos, qui, quãuis eadẽ plerunq; ſit & uoluntatum & ſtudiorũ conſenſio, non interdum admonendi uideãtur, ſi quid peccauerint: ſitq; his etiã negandũ, ſi quid ab amicis petant, quod honeſtè ac piè præſtari non poßit. Honeſta enim ab amicis petenda ſunt, & amicorum

*corum cauſa honeſta faciẽda. Potius au-
tem quàm res turpes rogati faciamus,
amicitiam, quæ iã deſinit eſſe uera, pau-
latim uſus remiſſione leuari patiemur,
atq; euaneſcere. Nam quæ ſubitò abrum
pitur, nunquã uera fuiſſe uidetur. Sed
hæc tamen ipſa diſiunctio, quantum fie
ri poteſt, cauenda eſt. nec enim ita aman
dum eſt, tanquam aliquando ſit oſurus.
Veram amicitiam intimus amor commẽ
dat, is quem Sacræ literæ cõprobant: qui-
bus iubemur nõ minus proximũ, quàm
nos ipſos amare. Sit igitur æqua utriuſq;
animi beneuolentia. nec enim requiren-
dum eſt, ut alter plus alterũ quàm ſeip-
ſum amet. ac de amicitia quidem hacte
nus. Huic repugnat inimicitia, grauiſ-
ſima generis humani peſtis, & quæ be-
lius deteriores homines reddat, omniq;
humanitate exuat. Homo enim homini
charus eſſe debet, cum beſtias eiuſdem
generis inter ſe uideat eſſe coniunctas.
Vt autem amicitia mites & gratos, ita
inimicitia feros & odioſos homines fa-
cit: utq; illa plurimum delectat animos,*

ita hac plurimùm & ſibi & alijs eſt moleſta, ac plurimorum cauſa malorũ. hinc cædes, hinc parricidia, hinc omnis crudelitas naſcitur. quem enim quis odit, extinctum cupit, & ſeſe ipſe miſer ulciſcendi cupiditate & nocendi ſtudio grauiter affligit, occultum quatiente animo tortore flagellum, ut Iuuenalis ait: cum literis Sacris proditum ſit, homicidam eſſe, quiſquis fratrem ſuũ oderit. Quamobrem omnis inimicitia fugienda eſt: cauendumq́ diligenter, ne cui demus odij cauſam: & ſi data ſit, omnibus modis efficiendum ut reconcilietur nobis, qui fuerat alienatus. Quodſi quem fortè, qui uideatur iniuriam nobis feciſſe, oderimus: tamen meminiſſe debemus, nos eſſe Chriſtianos, ut ignoſcamus, iramq́ & odium deponamus, eãdem à Deo ueniæ facilitatem expectantes, quam toties ſumus experti. Nulla autem grauior eſt inimicitia, quàm bellũ: nulla maior animorum alienatio atq; diſiunctio, nulla pernicioſior, nulla immanior, et qua plures acerbioribus odijs in mutuam perni-

cienr

*ciem ruant,& ita furenter interdũ in-
citentur,ut non ciues modò, ſed ipſi etiã
inter ſe fratres et propinqui cõmittãtur,
de uitã decertantes, ignari cognationis,
furore communi inflammati, omnemq́;
iam humanitatem exuentes, beſtiarum
feritatem induant. Et quamuis ipſum
per ſe bellum nec bonum propriè,nec ma
lum dici debeat,cum iuſtè poſſit admi-
niſtrari,ſitq́; neceſſariò interdum geren-
dum,præſertim ſi iuſtis de cauſis ita ſuſci
piatur,ut ſit iuſticiæ ſatelles,referaturq́;
ad eam partem quæ uindicatio dicitur:
tamen cum utriuſq́; hoſtis æquè iuſtum
bellum eſſe non poſſit, non uidetur ullũ
geri poſſe bellum,cui non altera ex parte
coniuncta ſit iniuſticia. Quamobrem
non temerè ſuſcipiendum eſt Principi-
bus,quibus belli gerendi ius eſt. nec niſi
iuſta ac neceſſaria de cauſa: ueluti ſi res
iniquè nobis ablatæ repetantur: ſi iniu-
ria uindicanda, aut uis arcenda ſit.
prius indicatur:idq́; ad eum finẽ refera-
tur,ut nihil aliud bello quàm pax quæ
ſita fuiſſe uideatur.cauendumq́; maxi-
mè,*

mè, quantum fieri poteſt, ne ſæuiatur in innocẽtes, & imbellem turbam ac ſuppli ces: ne ferro & igni uaſtentur omnia: ne plus damni detur amicis quàm hoſtibus: ne ſponte ac cupidè bellum ſuſcipiatur, quod ſine crudelitate geri non poteſt. Sunt & alia contraria amicitiæ uitia: ut moroſitas, ut aſſentatio, grauis amicitiæ peſtis, liberali ingenio indigna, damnoſa & periculoſa parum cautis & glorioſis & ſimplicibus, quia occulta inimicitia eſt, quæ blanda ſpecie lædit, ſeruiliter præſentem laudans, & abſentem iniquè rodens, atq; irridens: quam Terentius eleganter & feſtiuè depingit in Eunucho Actus 2. ſcena 2. Vtriq; æquè miſera eſt aſſentatio, & ei qui omnia ad uoluptatẽ alterius loquitur, & ei qui turpem hãc aſſentatoris blãditiẽ admittit: niſi quòd ille uiliſſimus ſeruus eſt, hic ſtupidus, qui ſe ludibrio eſſe non intelligat. Ac de iuſticia & partibus eius dictum ſatis.

De iniuſticia. Cap. 28.

IVſticiæ cõtraria eſt iniuſticia, quæ ſingulis quidem iuſticiæ partibus addi-

 ta,

ta, nunc paulo copioſius explicabitur. Vt iuſticia ſuũ cuiq; tribuit: ita ſibi iniuſticia, quod alijs debetur, iniquè ſumit. atq; ut ſuprà iuſticiã diſtribuimus, ita licebit & iniuſticiam partiri. Primùm in cõmunem & priuatam, & hanc in diſtribuentem & commutantem: deinde, ut iuſticiæ partes enumerauimus, religionem, pietatem, & reliquas: ita partes iniuſticiæ repetantur, ſuperſtitio, impietas, & cæteræ quas breuiter perſtrinximus: nunc tãtum iniuſticiæ communis & priuatæ partes indicabimus. Cõmunis iniuſticia duas formas complectitur: unã, quæ legibus: alteram, quæ æquitati repugnat. Leges uiolantur, cum uel auaricia, uel hominũ odio, uel aliã ob cauſam bonæ leges & inſtituta mutantur, aut abrogantur, aut falſis interpretationibus iniuſtè contorquentur, & labefactãtur. Violatur æquitas, cum legis uerba numerantur, & urgentur malitioſe, ſed mens & ipſa anima legis æquitas negligitur: & locum obtinet prouerbium, Summũ ius ſumma iniuria. ut ſi Iudices, uel Iuriſcon-

riſconſulti muneribus corrupti ſint, aut affectib. amoris odij ue perturbati. Tractantur hæc etiam à Rhetoribus ſub tit. de Statu ſcripti & uolũtatis. Priuatæ iuſticiæ partes duæ ſunt: quibus item duæ poſſent opponi, iniuſtè diſtribuens, & iniuſtè commutans. Iniquè diſtribuens parcit malis, nec defendit bonos: illos euehit, hos deprimit: aſſentatores & improbos apertis & bonis præfert: pluris nobilitatem & opes, quàm uirtutem & ſapientiam facit. Iniquè cõmutans non reddit quod debetur, fraudat eos cum quibus commercium eſt in emendo, uendendo, alijsq; rebus contrahendis; maximè in depoſito & ſocietate: fingit poſſeſsionũ titulos: mala fide acquiſita, uſu longo capit: communia & publica diminuere conatur, & ex his aliquid ſibi adijcere: deniq; ſuum cuiq; non relinquit. Omnium autem harum iniuſticiæ partium mater eſt iniuria, quæ fit uel reipub. uel ſingulis hominibus, aut leges uiolando, aut iniquè ſiue diſtribuendo ſiue commutando.

De fortitudine. Cap.29.

DIctum eſt de prudentia & iuſticia, ſequitur ut de fortitudine ſit dicendum. Definiri fortitudo poteſt, habitus, ſeu animi affectio, quæ conſiderata pericula ſuſcipit, & labores & quæcũque accidunt incommoda perfert, timorem iramq́; reprimens. A Cicerone definitur, animi affectio in adeũdo periculo, & in labore ac dolore patiens. cuius munera duo maxima uult eſſe, mortis dolorisq́; contemptionem: quòd fortitudo omnis aut in, dolore aut in labore, aut in periculo rebusq́; formidoloſis ſubeundis & repellendis ſpectetur. Stoici definiunt fortitudinem, propugnantem uirtutẽ pro æquitate: Chryſippus, affectionem animi in patiendo ac perferendo, ſummæ legi parẽtem, ſine timore. Naſci fortitudo uidetur partim à uoluntate, partim ab iraſcentis animi ui, quod huius nonnullam commotionem fortitudinis actio requirat: quæ tamẽ ipſa uoluntaria eſt, & in doloris pepeſſione, periculorumq́; ſuſceptione uerſatur: & imperare uoluntas,

tas, parêre uerò impetus ille uoluntati atque conſilio debet. Verſatur fortitudo in cohibendis rebus formidoloſis, & timorẽ ob futuri mali alicuius, atq; periculi expectationem incutientibus, tanquam in materia qua exercetur ſiue bellicis in rebus, ſiue domeſticis difficultatibus, ut exoptatum aliquãdo finem ſummum illud bonum conſequatur. Virtus hæc itẽ ut cæteræ, mediocritas eſt inter nimium & parum, nempe inter timiditatem & confidentiam. quæ uitia quomodò uitari poßint, oſtendit Horatius hiſce carminibus:

Rebus anguſtis animoſus atq;
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes uento nimium ſecundo
Turgida uela.

Duplex eſt fortitudinis officiũ, ſubire & perferre pericula & res aduerſas eo animo, ut id placeat Deo, eiusq; præceptis pareatur: cuius cauſa fieri debent omnia. Ac ſubire quidem & perferre non ſolum animoſe & fortiter, uerumetiam prudenter, uiri fortis eſt: neq; id inconſi-

derate ac temere, nulloq́ conſilio ſuſcipiat, ne magis impetu quàm recta ratione moueatur. Vera ac perfecta alijsq́ uirtutibus exornatæ fortitudini, Ariſtoteles alias quinq; non perfectas formas, tamẽ ut cognatas, addidit libro 3. ad Nicomachum. primam, ciuium pro patria pugnantium: ſecundam, militum qui ex rei militaris diſciplina pericula adeunt: tertiam, experientiæ confidentium: quartã, eorum qui uincendi ſpe nituntur: quintam, ex fortuna pendentium, nec ſatis pericula conſiderantium, quos ignorantia fortes reddit. Non minus autem res aduerſas æquo animo atq; conſtanti perferre, tolerare iniuriam, animorum impetus cohibere, fortitudinis eſt: quàm ſubire pericula, mortem contemnere, atq; adeò (ſi ita placere Deo cõſtiterit) non illibenter oppetere. Et quoniam fortitudo uel in ſuſceptiõe periculorum, uel in perpeſſione uerſatur: huic uirtuti quatuor formæ ſubijciuntur, Fidentia & magnanimitas, quæ ad ſuſceptionem: Patientia & perſeuerantia, quæ ad perpeſſionem

referuntur. priores duæ ad primũ quaſi fortitudinis motum, poſteriores ad malorum tolerantiam atq; firmitatem & conſtantiam pertinent. Ex his omnibus perfecta fortitudo conſtat.

De fidentia & magnanimitate. Cap. 30.

F*Identia, inquit Cicero, eſt firma animi cõfiſio: ſeu, per quam magnis & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ, certa cũ ſpe, collocauit. Huic audacia quidem cognata uidetur, & tamen uitium eſt: cum non conſilio & iudicio, ut fortitudo, cui perpetua comes eſt prudẽtia, ſed impetu ac temeritate feratur: non ſatis expendens, priuſquam adeat pericula, poſſit'ne ſuperare: & ut poſſit, honeſtum'ne ſit ea ſubire. Sed fidẽtia non niſi diligenter antè conſiderata pericula fortiter, magnaq; fiducia ſuſcipit. non enim qui minus audent, ſed qui moderatam animi uim, quam ratio regat, ac uirtuti congruentem faciat, adhibent, fortes ſunt iudicandi. Fidentiæ cõtraria eſt Diffidentia, deiecta mẽtis conſternatio.*

ſternatio, eadem quæ eſt deſperatio, quã ſuprà ſub capite de Deſiderio & ſpe, breuiter perſtrinximus. Magnanimitas eſt excelſi atq; inuicti animi magnitudo, & robur atq; firmitas, ad res magnas gerendas. Hæc fidentiam fulcit, adiutrixq; cognatam confirmat. Excelſum intellige animum, nõ inflatum, neq; arrogantem, ſed modeſtum, ac ſuperbiam deprimentem, uerè magnum, & humana deſpiciẽtem. Nam uirtus hæc maximè ſpectatur & in rerum magnarum, quæ cupidum uulgus admiratur, contemptione: & in refrenãdis perturbationibus, ut inuicto animo reſiſtatur omni ambitioni, auariciæ, libidini, ut aduerſa omnia cõſtanter perferantur. Cicero de Officijs libro primo tradit, magnitudinis animi duas eſſe partes: quarum una in fortuna proſpera cernitur, altera in aduerſa: quòd magnanimũ neq; res aduerſæ frangere, neq; ſecundæ inſolentem facere poſſint. Contraria magnanimitati uitia duo ſunt, χαυνότης, elatio nimia, ſeu inflatus ac tumẽs animus: & μικροψυχία, animi demiſſio

miſsio atq; abiectio. Priori uitio continetur, inſolenter ac ineptè ſeſe efferens iactatio, ſtulteq; turgeſcens animus: qualis ille Thraſonis apud Terentium, hominis uani & inſulſi, nimioq; ſui amore cæci: quo nihil magis ridiculum fingi poteſt, quem nemo bonus ac modeſtus ferre poſſit. Hoc genus hominũ omnibus, præter quàm paraſitis, eſt odioſum. Huic uitio contrarium eſt illud alterum, quod animi demiſsio dicitur, uulgo Puſillanimitas: id eſt, turpis & indecora animi abiectio, laborem inſtantem fugientis, & magnis ac præclaris in rebus turpiter languentis. qualis fuit hominum effeminatorum: ut Sardanapali, qui ne reſiſtens quidem, pulſus regno, præſumpta deſperatione ſibi manus attullit: ut Heliogabali, ut aliorũ qui uoluptatibus eneruati uitam ignauam turpemq; uixerunt. Superioribus adÿcietur, bonæ exiſtimationis ſtudium. cuius item duo uitia ſunt: vnum, ambitio: alterum, famæ exiſtimationisq; deſpicientia.

De perſeuerantia & patientia. Cap. 31.

PAtientiã Cicero definit, rerũ arduarũ ac difficilium uoluntariã ac diuturnam honeſtatis aut utilitatis cauſſa perpeſſionẽ: hoc eſt, firmã & conſtantẽ rerum humanarũ tolerantiam, qua quicquid aduerſi nobis acciderit, æquo animo perferimus. Voluntariam ille uocat, quòd hæc uirtus, ut et magnanimitas, in uoluntate poſita ſit, quã iraſcens illa animi facultas adiuuat. Quod additur ab illo, Honeſtatis cauſa: finem huius uirtutis, qui eſt aliarũ omniũ, oſtendit. Nã ſi labores non ob uirtutem, ſed uel odij, uel opũ, uel honorũ cauſa perferantur, eã ille Duriciem immanem appellat, quæ patientiam imitatur. Nobis uerò ſemper ille finis eſt conſtituendus, vt actio noſtra Deo placeat, cui grata uirtus eſt. Officium patientiæ duplex eſt. vnum, in perferendis iniurijs acceptis: alterũ, in omnib. fortunæ caſibus æquo animo ſuſtinendis. Vincit, qui patitur iniuriam: quòd & ſe ipſe & aduerſarium ſuperet, cũ affectũ

repri-

reprimit: vincitur uerò, qui facit, quoniam affectibus ſuccumbit, & ab ira atque cupiditate ſuperatur. ille iuſtus, hic iniuſtus eſt. Patientis igitur eſt, & iniuriam negligendo ſuperare: eiuſq; uindictam non ſibi ſumere, ſed Deo (cuius eſt ulciſci peccata) cõmittere: & omnẽ fortunam æquo animo ferre, tolerare paupertatẽ, exilium, orbitatẽ, luctũ, contumeliam, contẽptũ, ſeruitutẽ, morbos graues, cæcitatẽ, & ſi quid etiã miſerius eſt: nunquã deſperare, nunquã calamitatibus frangi. cũ enim miſerijs & ærumnis plena ſit uita humana, quis nõ interdũ, (vt impij quidam, parũq; fortes fecere) abrumpere eã ſibi mallet, ac ſemel omnibus defungi malis, quàm ſemper ærumnoſam trahere uitã: niſi patientiæ robore munitus, ad omnia perferẽda paratum atq; inuictũ animũ fortiter opponeret, & quamcũq; uitam duce uirtute bene degẽdam eſſe duceret? Falſo quidã fortes eſſe putauerũt eos, qui mortẽ ſibi ipſi rebus deſperatis cõſciſcerent, fugientes uel inopiam, uel ignominiam, uel captiuitatem,

tē, uel ſeruitutē, uel amorē non ferentes, uel aliud quoduis malū euitantes: quos Ariſtoteles rectius iudicauit eſſe molles & effeminatos: cū ſit conſtantis & fortis uiri, quamcūq; fortunā æquo animo perferre: timidi uerò & ignaui, diffidere & frāgi laboribus, ac turpiter ſuccumbere. Patientiæ cōtrarium uitium impatientia dici poteſt, honeſti laboris & doloris tolerandi fuga, cuius naturam nō difficile eſt ex ijs quæ iam dicta ſunt intelligere. Sunt impatientes alij qui labores, alij qui dolores metuunt: atq; impatibiles putant, quos patiētia tolerandos eſſe docet. illi ſuccumbūt laboribus, hi perturbationibus & curis angūtur, & ægrè iniuriam, ac moleſtè ferunt. Sunt etiā qui fortunam proſperam non ſatis moderatè ferre poſſunt, quorum animi rerum ſecundarum inſolentia nimis efferuntur: æquè atq; illi uituperandi, quòd non minus turpe ſit animo deijci, quàm inaniter exultare. Perſeuerantia definitur à Cicerone, ſtabilis & perpetua in ratione bene conſiderata permanſio: fida patien-

tiæ

tiæ comes eſt, & adiutrix in rebus aduerſus perferendis, & in ſecundis æquabilitate moderandis, omnibusq́ animi affectionibus comprimendis, ac rationis iudicio ſubijciendis. Nam fortis animus, ut ille ait, ſine cõſtantia & æquabilitate, nihil eſt. Perſeuerãtiæ contrariũ uitium eſt inconſtantia, ſeu leuitas, & inſtabilis rerum humanarum moderatio, quæ uel propter mollitiem animi temerè difficultatibus cedit, nec perferre dolores poteſt: uel propter pertinaciam in ſententia, quam ratio mutare iubet, arroganter & contumaciter permanet.

De uitijs, inter quæ fortitudo eſt interiecta. Cap. 32.

FOrtitudo media eſt inter duo uitia, temeritatẽ & timiditatem. Temeritas, eſt inconſiderata periculorum aggreſſio, ſeu inconſulta confidentia, qua quis non exploratis uiribus, cæco impetu periculum aggreditur, uel ignoratione difficultatis, uel animi elatione & gloriæ cupiditate, uel deſperatione, uel etiam ſtupiditate ac uecordia mentem perturbãte,

te. Vitium hoc à fortitudine lõgè eſt alienum, quòd rationem & conſilium non adhibeat. Cognatum huic uitium eſt audacia atque confidentia, de qua ſuprà dictum eſt: quod impetum ſeu temeritatẽ ad inconſultè ac temerè agendum excitat. Huic uitio contrarium uitium eſt timiditas, qua ſine cauſa quis terrore percellitur, & quouis ſtrepitu terretur, eaq; timet quæ pro uirtute fortiter obeunda ſunt: ignauus, mollis, ac laboris honeſti fugiens: qui dum nimium ſuæ uitæ metuit, turpitudinem & dedecus, quod maximè fugiendum eſt, non timet. De utroq; uitio diſputatum eſt aliter in explicatione affectuum, atq; hic: ubi nõ affectus, ſed habitus uitioſus intelligendus eſt fortitudini contrarius.

De temperantia. Cap. 33.

TEmperantia uirtus eſt, quæ uoluptates rationis imperio ſubijcit. ea definitur à Cicerone, rationis in libidinẽ & in alios non rectos impetus, animi firma & moderata dominatio. Dicitur & moderatio cupiditatum, rationi obediens:

ens: & alibi, moderatrix omnium commotionum. Ea in prætermittendis uoluptatibus cernitur, ut idem cum Platone & Ariſtotele ſentit. Græcè σωφροσύνη, quam noſter & temperantiam & moderationem uocat, atq; frugalitatem. Verſatur enim in refrenandis uoluptatibus inhoneſtis, ac libidinibus, tanquam in materia, quam tractat. Et quoniam uoluptates aliæ ſunt naturales, omniumq́; animantium communes: aliæ opinabiles: et utræq; uel animi, uel corporis: quarum aliæ bonæ ſunt, quæ bonum ad finem referuntur: aliæ malæ, quæ ad malum: bonis & honeſtis utitur: hæc uirtus contrarijs abſtinet, omnes uerò appetitiones rationis iudicio moderatur: quod his uerbis confirmat Seneca: Temperantia uoluptatibus imperat: alias odit atq; abigit, alias diſpenſat, & ad ſanum modum redigit. Ex quibus uerbis intelligẽdum eſt, hanc uirtutem eſſe cum prudẽtia coniunctiſſimam. Cum igitur in moderandis cupiditatibus temperãtia uerſetur, primum eius officium eſt, uidere

quid

quid naturæ neceſsitas ad uitã cõmodè degẽdam poſtulet: ut huic ſatiſfiat, quæ paucis contenta eſt, quo nimis immoderatus rerum naturalium uſus uitetur, & intra naturæ modum cohibeatur. Alterum eſt, ut ubi iam corporis uoluptatibus frenos iniecerit, moderetur etiam animi impetus rationi obluctantes, arrogantiã deprimat, ſeipſum noſcat, libidini fortiter obſiſtat, & paulatim rationis imperio ſubijcere conetur. Temperantiæ tres partes à Cicerone ſubijciũtur: Continentia, clemẽtia, & modeſtia. quarũ prima, cupiditatẽ conſilij gubernatione regit: altera, odium remittit: tertia pudorem honeſtum conſeruat, & uerecundiam, ſine qua nihil rectum haberi poteſt.

De continentia & abſtinentia. Cap. 34.

INter continentiam & abſtinentiam id intereſſe propriè uidetur, quòd continentia moderatur affectus, & in omni uictu cultuq́; corporis modum tenet, ac præcipuè in prætermittendis uoluptatibus cernitur, ut ait Cicero: cui contra-

ria

ria eſt incontinentia. Abſtinentia, manus ab alienis abſtinet, cui rapacitas opponitur. hæc in uiro innocente eſt, illa intemperante. Continentia definitur ab illo uirtus, per quam cupiditas conſilij gubernatiōe regitur. Huius munus eſt, omnes appetitiones moderari, libidinem, luxum, ebrioſitatem, liguritionem, ſenſusq́ omnes & uoluptates rationi ſubijcere. hæc uirtus non modò laudabiles ac dominos cupiditatū reddit, uerūetiā ſanos & alacres, atq́ ad res præclaras efficiendas aptos: at contrà, ex intemperantia multa morborum genera naſcuntur, ex nimio cibo ac potu onuſtus uenter, animum quoq́ prægrauat, ac rationi tenebras offundit. Sed ille tamen finis omnibus ſemper eſſe debet propoſitus, ut ſe cōtineāt: quia ita Deo, cui ſeruiendum eſt, placere ſciant, non quia id ualetudini proſit. nam ſi ualetudinis tantū, uel commoditatis cauſa quis incontinentiam fugiat, laudem non meretur. Ad continentiam referātur illæ uirtutes omnes, quacunq́ uocentur nomine, quæ moderan-

tur uoluptates, ueſtitũ, uictum, cibum, potũ: quæ caſtos, moderatos, ſobrios reddunt: quæ fœdas illas refrenãt peſtes, luxuriam, libidinem, liguritionem, ebrietatem, & ſimiles: quibus uoluptuarij, libidinoſi, molles, impudici, effeminati, helluones, ebrioſi homines, et pecudibus deteriores efficiuntur. Per continentiã ad laudem temperantiæ peruenitur. eſt illa quidem inchoata potius quàm abſoluta uirtus, ut Ariſtoteli placet: ſed ipſius temperantiæ perfectiſſimæ uirtutis officio, quod in cupiditatibus refrenandis ac rationis imperio ſubijciẽdis cernitur, maximè neceſſaria. Annotauit Celius Calcagninus in Diſquiſitionib. Ariſtotelẽ in Ethicis, & Plutarchum in commẽtario de Virtute morali. oſtendere, inter continentem incontinentem, temperantem & intemperantem quid differat. Continens cum affectibus colluctatur, & uincit: incontinens reluctatur quidem, ſed uictus dolet. contrà, temperans nullam habet luctam: ſed pacatis affectibus utitur, ut mare tranquillum,

quod

quod nullo agitatur uento: intēperans uerò ſine lucta manus dat affectibus, ſeq́ obſequētem omnibus uoluptatibus ſponte profitetur. Contrarium continentiæ uitium eſt, incontinentia, non minus latè patens. *ea definiri poteſt, immoderata uoluptatū cupiditas, quæ rationis imperio nō gubernatur: ſeu immoderatus ac rationi repugnās libidinis, gulæ, uinolentiæ, cæterarumq́ inhoneſtarum uoluptatum uſus. Nihil eſt hoc uitio turpius & abiectius, quod ſeruum reddit hominem, atq́ omni libertate ſpoliat: quem improbiſſimis dominis cupiditatibus, libidinibus, heluationibus, iracūdiæ, auaritiæ, alijsq́ dedecoris ac turpitudinis adminiſtris mancipet: ut eleganter à Cicerone diſputatur in quinto Paradoxo.*

De clementia. Cap. 35.

VT in refrenandis ac moderādis cupiditatibus cōtinentia ſpectatur, a clementia in iracundia cohibenda. Quæ enim ſunt, ut ſuprà dictum eſt, animi partes, appetens & iraſcēs: ex quib. omnes oriuntur affectiones. Definitur

à Cicerone clementia, per quã animi temerè in odium alicuius concitati comitate retinentur. Seneca plures eiuſdem uirtutis definitiones adferens: Clemẽtia, inquit, eſt temperantia animi in poteſtate ulciſcẽdi: uel, lenitas ſuperioris aduerſus inferiorẽ, in cõſtituendis pœnis: uel, inclinatio animi ad lenitatẽ in exigenda pœna. Dicitur enim eadẽ lenitas, ſeu lenitudo, & manſuetudo, qua iræ impetus ratione reprimitur, & in ulciſcẽdo atq; animaduertendo moderatio adhibetur. Sed hanc ita prudentia regit, ut nec omnibus, nec nulli ignoſcatur. utrũq; enim crudelitati potius quàm clementiæ conuenit: ſed in partem humaniorẽ tamen, quàm in alterã peccare præſtat: niſi fortè qui reipub. præſunt, exemplum in aliquos neceſſariò edendũ iudicarint: quos optat Cicero legũ ſimiles eſſe, quæ ad puniendũ non iracundia, ſed æquitate ducuntur. Clemẽtiæ eſt, cauſas parcẽdi quærere. Priuatorũ certè nemo uereatur ſe ad illam clemẽtiorem partem inclinare, nec unquàm de illata ſibi iniuria uindi-

canda

canda cogitet: ſed irarum ſtimulos cohibeat, & hanc intelligat omniũ pulcherrimam eſſe uictoriã, ac præcipuè Chriſtiano homine dignam. Clemẽtiæ contraria eſt crudelitas ac ſæuitia, ſeu atrocitas animi in uindicãdo & ſumendis ſupplicijs. cuius comes accedit immanitas: id eſt, efferata crudelitas. utroq; uitio nihil eſt ab hominis natura alienius, cuius propria eſt humanitas, & clementia: & huic amabili uinculo coniuncta miſericordia, quæ clementes & humanos reddit: qua nulla uirtus Deo, cuius immẽſa eſt & inæſtimabilis miſericordia, gratior eſſe poteſt. Clementiæ cognata uidetur, ſed uitium eſt, lentitudo: quæ ſtupidi hominis eſt, non lenis.

De modeſtia. Cap. 36.

M*Odeſtia dicta eſt, quòd modum quendam ac moderationem conſeruet. Eam Cicero definit libro ſecundo de Inuẽtione, per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem comparat authoritatem. & libro primo de Officijs, omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur, ordinem &*

modum, & ſcientiam opportunitatis idoneorum ad aliqnid agendum temporum: Stoici ſcientiam earũ rerum quæ agentur, aut dicentur, loco ſuo collocandarum. Prima definitio pudorem honeſtum, quem Cicero ingenuam quandam timiditatem appellat, & uerecundiam nobis cõmendat, quæ eſt reuerentia quædam aduerſus homines: cuius proprium eſt, neminem offendere: ſicut iuſticiæ, neminem uiolare. quæ definitur ab illo in Partitionibus Orator. cuſtos omniũ uirtutum, dedecus fugiens, laudemq́ maximè conſequens. Et Ariſtoteles uocat metum dedecoris & infamiæ. Atq́ hæ quidẽ definitiones non unam aliquam uirtutẽ uerecundiam declarare uidentur, ſed generalẽ quandam cũ omnibus uirtutibus coniunctã, quod alio nomine decorũ uocatur. Pudor inter affectus à nobis annumeratus eſt: ubi intelligi uolumus repentinam commotionem, qua quis ſubitò perturbatur: hic uerò cõiunctam uirtuti affectionem, uſu confirmatam, quæ dedecoris atq́ infamiæ metu nos à uitijs

auocat:

auocat. eam ſi nõ ipſam uirtutẽ, at certè cum uirtute copulatã fateamur. Ex hac affectione obortum ruborem, uirtutis colorem Diogenes appellabat: indicans, eũ pudorem ab indole bona proficiſci. quem tamen hic moderatum eſſe uolumus: ut ſit mediocritas, quæ propria uirtutũ eſt, inter nimium pudorem ſeu timiditatẽ uerecundiæ imitatricem, & impudentiam. A pudore, pudens ſeu uerecundus uirtutis nomine dicitur: cui contrarium eſt, impudens & inuerecũdus. laudabilis hic rerum turpium metus eſt, & in minoribus natu uirtutis indolem ſignificat, præcipuum etiam feminarum ornamentum. At impudentia deteſtabile uitium eſt, quo decorũ & uitæ honeſtas omnis negligitur: & ad uitia, quia non timentur, aditus aperitur. Reliquæ Ciceronis definitiones, quas modò poſuimus, quid ſit modeſtia, ſatis explicãt: ut ſit earum rerum quæ aguntur, aut dicũtur, ordo & modus ſcienter obſeruãdus, quo quidq; ſuo loco & tempore & decorè fiat. Eius enim officium eſt, ita moderari ani-

mi motus, ut omnium actionum cõſenſio quædã retineatur: ut nihil quod ineptũ ſit, parumq́ deceat, uel agatur, uel dicatur, ne quid iracundè, ne quid cupidè per odium, amorem, libidinem, arrogantiam, ambitionem, alios'ue non rectos impetus animi fiat. Subijciũtur modeſtiæ demiſſio animi, diſcendi ſtudium, ſermonis feſtiuitas ſeu lepor ſeu urbanitas, & cultus corporis. Animi demiſſio, quam uocant humilitatẽ, præclara Chriſtianorũ uirtus eſt: qua quis ita animi inſolentiam deprimit, ut quanto ſuperior ſit, tanto ſe gerat ſubmiſſius. Hãc uirtutem Chriſtus ipſe nos à ſe diſcere uoluit, qui ſe mitem eſſe dixit, & animo humili atq; demiſſo: ut nos quoq; illius exẽplo noſtra bona, ſi qua ſunt, extenuemus: cùm nihil habere boni poſſimus, quod nõ Dei conceſſu atq; munere nobis ſit datum: ut nulla cuiquã mortaliũ ſit de ſe goriandi cauſa, cum donum omne perfectũ cœlitùs à Deo patre, qui mẽtes hominum illuſtrat, proficiſcatur per IESVM Chriſtum ſeruatorem noſtrũ, per quem

quem ueram ſapientiam homines acceperunt, ſancti Spiritus beneficio confirmatam. Docet igitur hæc uirtus id præcipuè, quod olim de cœlo delapſum ferebatur, Noſce teipſum: ne quis uidelicet ſibi nimium tribueret, cũ nihil habeat quod non acceperit. Eſt hoc etiam prudentis opus, ex quo intelliges modeſtiã atq; temperantiam prudẽtiæ ſemper eſſe coniunctiſſimam: unde & à Græcis σωφροσύνη dicitur, quaſi conſeruatrix prudentiæ. Cõtrariũ uitiũ eſt arrogantia, per quam præclara multa quis amore ſui cæcus ineſſe, quæ nõ inſunt, & maiora quàm inſint, ſibi fingit: ſeu inſolens & inanis, ac iudicio mentis carens oſtentatio. ſtultorũ hominum de ſe bene exiſtimantium uitium hoc, & Deo & hominibus eſt odioſum. Altera modeſtiæ pars cum ſuperiori magna cognatione coniuncta eſt, diſcendi ſtudium, quo ſuam quis ignorantiam agnoſcens, ſcientiæ deſiderio tenetur, ad quam cõparandam animum applicat. Facile multa diſcit, qui ſcientiæ ſtudioſus eſt, & ſe plurima neſcire intelligit: qua-

les fuerunt philoſophi, doctrinæ laude clariſſimi, quorum tota uita nihil aliud quàm perpetuum quoddam ſcientiæ & ſapientiæ ſtudiũ fuit. His contrarij ſunt, qui ad magnam eruditionem peruenire poſſent, niſi iam ſe perueniſſe crederent: quod huic uirtuti maximè repugnat, quæ ex modeſtia, & propriæ ignoratiõis confeſſione proficiſcitur. hæc uirtus duobus eſt interiecta uitijs, curioſitati & incuriæ, ſeu negligẽtiæ ſtudiorum ac ſcientiæ. Curioſitas eſt nimia diligentia, ſeu auiditas immoderata cognoſcendi res uel malas uel inanes, ac parum neceſſarias: contraria laudabili ac naturali uehemẽtiq́ cupiditati ac ſtudio diſcẽdi, omnibus hominibus inſito. Propria enim hominis eſt, ueri inquiſitio atq́ inueſtigatio. Vt autẽ curioſitas meritò uituperatur: ita negligentia & incuria ſcientiæ, quæ ſtupidorum hominum eſt, & hebetiũ, qui brutis animantibus quàm hominibus ſimiliores uidẽtur. Tertia modeſtiæ pars eſt feſtiuitas ſeu iucũditas, & lepor, itẽq́ comitas, affabilitasq́ ſermonis, quibus

qui

qui prudenter utetur, is omnibus iucundus erit, atq; ob id etiã gratioſus. Feſtiuitas eſt, quæ modum quendam iocis ac ludis adhibet: & his tempore & loco apud eos, quibus ea grata ſunt, ad honeſtã hilaritatẽ excitandã, ac uitæ moleſtias iucũditate quadã abſtergendas utitur. Eſt hæc quoque mediocritas inter duo uitia, teſte Ariſtotele lib. 2 ad Nicomachũ, ſcurrilẽ dicacitatẽ & ruſticitatẽ. Qui iucunditatis ad iocũ accõmodatæ modũ tenet, feſtiuus ſeu urbanus habetur: qui modũ egreditur, ſcurrilis, quales paraſiti ſunt & hiſtriones, aliĳq; leues homines & ridiculi. Qui uerò omnino ab iocis abhorret, is agreſtis & ruſticus iudicatur. Sed diligẽter cauẽdũ eſt, ne dicacitate noſtra quẽquã offendamus: ne ſint immoderati ſales, ne turpes, ne inepti. Multa feſtiuè dicta ſuppeditabit Apophthegmatum opus ab Eraſmo collectũ. Quod autẽ attinet ad reliquam uitæ iucunditatem, qui ita ſe iucundum præbet ut ratio poſtulat: is facilis, comis, et affabilis: & mediocritas, facilitas dicitur. qui modum egre

ditur,

ditur, ſi nulla cauſa ductus, nimiū faci-lis & obſequēs: ſin emolumēti ſui cauſa, aſſentator habendus eſt. At qui omnino abhorret diſceditq́ à modo et ratiōe, ſeq́ triſtē rebus omnibus præbet, is moroſus & difficilis putandus eſt, & omnium odio dignus, cum inhumana illa & prudentibus uiris ingrata triſticia & agreſti ſeueritate. Quibuſdam innata uidetur eſſe triſtis quædam in uultu ſeueritas, qualis illi Terentiano Critoni tribuitur in Andria: quæ ſi naturalis eſt, certè nec bona propriè, nec mala dici poteſt. Bona iudicabitur, ſi rectæ rationi congruat. Sed eſt quoddam genus hominū, qui fronte & ſupercilio, atq́ etiam geſtu, inceſſu & uoce ſtulticiam contegunt: quorum affectata grauitas, praua conſuetudine confirmata, cordatis uiris & ad humanitatē rectius informatis perridicula uideri ſolet. Modeſtiæ poſtrema pars docet ornatum cultumq́ corporis eſſe moderandum, & in eo, ſicut alijs in rebus, decorum ſeruandum, ne uel nimia cura & luxus, uel agreſtis & inhumana negligē

tia

tia & ſordes reprehendantur. Hæc enim uirtus, quæ cultu corporis commodo & naturæ neceſsitati conuenienti conſtat, mediocritas eſt inter luxũ & ſordes. Sit igitur moderatus ueſtitus, mundus, aptus corpori: & ad uſum, non ad ſtulticiã & ridiculam oſtentationem cõueniens, qualis barbarus & exoticus eſſe ſolet: ſit perſonis pro dignitate et opibus, et ſexui, ætati, loco, tẽpori, & honeſtæ cõſuetudini accõmodatus. Alius nobiles & diuites, alius plebeios & tenues: alius uiros, alius mulieres: alius ſenes, alius iuuenes decet.

De intemperantia, & duabus eius partibus. Cap. 37.

I*Ntemperantia eſt, obſequium cupiditatibus contra rationem indulgens: quam Cicero libro quarto Tuſculanarũ quæſtionum definit, à recta ratione defectionem, ſic auerſam à præſcriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant. Partes huius uitij duæ ſunt. una, quæ nimiũ uoluptatibus indulget: altera, quæ nihil. per illam præcipites homines beluarum*

more

more in omnes uoluptates ruunt, reiecto rationis imperio: per hāc, animi duritia nonnulli tanquam ſtupore quodam, ad omnes uoluptates redduntur hebetes, & honeſtam etiam ac neceſſariam iucunditatem ſine cauſa reÿciunt & aſpernantur. ſed horum perpaucos reperiri puto, qui ab omni uoluptate, qua uel maximè natura delectatur, duritia quadā ſic abhorreant, ut nulla iucunditate demulceri poſſint. Multo plures in alteram peccare partem ſolent, & nimis laxas habenas dare uoluptati, quā ex præſcriptione rationis temperātia refrenat: quæ duobus illis interiecta uitÿs, aureā illam et propriā uirtutis mediocritatē ſemper tenet.

De uirtutum inter ſe coniunctione, differentia & præſtantia.

Cap. 38.

V*Irtutes omnēs, quæ modo perfectæ ſunt, & ad rationis habitum perductæ, mutua quadā inter ſe connexione ſic deuinctæ ſunt, ut corporis unius membra: ſic amabili concordia conſentiunt, ut concentus muſicus. Hæc eſt illa*

multi-

multiplex annulorũ ſeries, quã à magnete attrahi Plato ſcripſit. Non enim perfectè ac uerè prudentem uocaueris, qui non idem ſit & iuſtus & fortis & temperans: nec iuſtum, qui cæteris careat: nec fortem nec temperantẽ, qui reliquorum comitatu non ſit inſtructus, etiamſi frequentius in una uirtute quàm in alia uerſetur, & in ea malit excellere. Inchoatæ uerò uirtutes non ita cõiunguntur, ut quaſi conſenſum concentumq́ efficiãt. Socratem fuiſſe temperantem & modeſtum accepimus: ſed illa quæ peculiaris ei fuiſſe dicitur ironia, cum tam cupidè aliorum iuſticiam argueret, arrogantiæ reprehenſionẽ effugere nõ poteſt. At uerò illa Iobi ſumma patientia ac temperantia literis ſacris prædicta, omniũ perfectiſsima fuit. Sed huius tam perfectæ uirtutis exempla non ita multa proferuntur: inchoatæ uerò plurima numerari poſſunt. Virtutes aliæ alijs dignitate & actione præſtant: ut prudentia, cuius in mente ſedes conſtituitur, & in ueri inquiſitione uerſatur, temperantiæ prefertur.

tur, quæ uoluptates moderatur; & modum rebus omnibus adhibet: cui locus aſſignatur in appetēte animi facultate, iuſticia fortudini, quòd illa humanæ ſocietatis æqualitatem conſeruet, nullamq́ certā habeat ſedem, ſed ad omnes animi partes æquè diffundatur: hæc in difficultatibus cōtemnendis uerſetur, & in iraſcētis animi facultate ſit collocata. Quatuor autē his primarijs uirtutibus quæcūq; ſubiectæ ſunt, ut ordine, ſic dignitate ſunt inferiores, propterea quòd earū alijs aliæ ſubſint: nec ſtatim ad ſummū bonum, quod illa ſumma capita proximè ſpectāt, ſed ad ſua genera ſingulæ referātur, et nos potius quàm felicitatem reſpiciant: cū nō ipſæ per ſe, ſed ꝑ illa quatuor genera ad ipſum Deū, qui bonorū omniū eſt finis, dirigātur. Ad hūc finē exoptatū, æternāq́; fœlicitatē, per uirtutis quidem actiones (ut initiò dictū eſt) ſed quas ipſe nobis Deus ſua benignitate fortunet, peruenitur: cui laus omnis, honor & gloria æterna debetur.

FINIS.

CLARISS. VIRO, D. ALPHONSO FERRANDO Cordubenſi, & Agidario, Sebaſtianus Foxius Morzillus Hiſpalenſis S. P. D.

*V*NIVERSAM *naturæ ſcientiam in ijs ferè Commētarijs, qui à nobis nuper in Timæum Platonis ſcripti ſunt, comprehēdimus. Nunc id ad perfectam philoſophiæ tractationem reſtare uidebatur, ut de moribus diſputaremus: hoc eſt, de altera illius parte, quæ in hominum actionibus uitæq́; communis officijs uerſatur. Hanc nos, quàm fieri potuit breuiſſimè, tribus his libris complexi ſumus, Alfonſe clariſſime: non quòd in ea re noſtram poſt Platonis, Ariſtotelis, Xenophontis, cæterorum'que ſcripta, induſtriam deſiderari putaremus: ſed quòd ei qui uniuerſam philoſophiam compendio tractare inſtituerit, cōmodiſſima ratio ſit, ut quæ ſparſim à multis, ac ſine ordine dicta ſunt, in unū quaſi corpus conferantur, resq́; tota diſtinctius & apertius explicetur. Id quanquam à me modò nequaquam poſtulari alicui uideatur, quòd ſatis eſſe illorum quos paulo antè cōmemoraui, auctorum libros exiſtimet: tamen ſi eorundem inſtitu-*

tum, ac mei conſilij rationem cõſideret, intelliget profectò, & commodum hunc noſtrum laborem fore: & neceſſe fuiſſe, poſt illos aliquid de moribus ſcripſiſſe. Nam cum de fine bonorum extremo, deq́; uirtutibus inter ſe pleriq; diſſentiant, aliudq́; Academici & Peripatetici, aliud Stoici & Epicurei de multis opinentur, unum ex ijs omnibus effici compendium nõ poteſt: cum nec eædem ipſorum ſint ſententiæ, atq; ex diuerſis, planeq́; cõtrarijs, unũ aliquod diſciplinæ genus nequeat conſtitui. At obijciat forſitã aliquis; ſatis eſſe aliquod ſcriptum aut Ariſtotelis, aut Platonis, in compendium redegiſſe, nec nouum aliud doctrinæ genus induxiſſe. Certè id facilè admitterem, ſi ſcientiam auctorum, à quibus ſit tradita, auctoritate metiri, ac non ueritate potius oporteret. Qui enim de philoſophia, id eſt uera certaq́; ſcientia diſſerere uoluerit, minimè quidem debet, quod Plato, aut quod Ariſtoteles dixerit, amplecti, idq́; pro rato exploratoq́; habere: ſed ipſam doctrinæ uim explicare, poſthabita cuiuſquam auctoritate, quæcunq; rationi ac ueritati minimè congruerit. Nec mihi uerò eorum ſententia ualde probatur, qui dicant, multa ſatis atq; præclara literarum monumenta reliquiſſe nobis antiquos ſcriptores, nec denuò, ut quidquam ſcribatur, opus eſſe: cum eadem illi ratione & poſt alios, quos imitati ſunt, nihil ſcripſiſ-

ſcripſiſſent: & occaſionem omnem eoſdem aucto-res intelligendi, nouaq́; inueſtigandi, ſimul adimant. Sed ſi ſuos adhuc antiquos pertinaciſsimè tueantur, ac retineant, uagentur quidem per me cæci atq; errabundi in latiſsimis illis multorũ ſcriptis de ſummo bono, de animi morbis, de uirtutibus ac uitijs, officijs, de Repub. de re familiari, deq́; alijs hominũ actionibus, in quibus hæc ſine ordine obſcurè, diffuſe, ac falſa nonnunquam diſputantur. Omitto enim, an uerè Plato, aut Ariſtoteles, cæteriq́; ſummum bonum deſcripſerint, uirtutesq́; ueras tradiderint; id quod maiori diſputatione indiget. Equidem id auſim liberè profiteri, nec illa omnia in certum aliquem ordinem contrahi poſſe: nec quòd quis multam in ijs legendis operam collocet, ueram eum Ethices philoſophiæ notitiam aſſequuturum, niſi etiam aliarum rerum adhibeat cognitionem. Ego uerò, cum certam huius artis rationem in his libris tradere ſtatuiſſem, nullius auctoritati adhærendum mihi eſſe exiſtimaui: ſed eam de bonorum fine, humaniſq́; actionibus ſentẽtiam tueri, quæ religioni noſtræ quam maximè conſentiret. Cum qua quidem ueluti norma cæterorum philoſophorũ ſententias cõferens, quæ illi magis congruerent, ut ueriora probaui: quæ repugnarent, liberè reieci. Nec enim omnia ſcriptorũ omnium decreta improbanda eſſe prorſus

ſus cenſuimus, nec rurſus approbanda, ne maledici aut pertinaces uideremur. Ea igitur tradendæ huius ſcientiæ ratione inſtituta, partes omnes eiuſdem breuiter complecti uolui, ne quid à me ad perfectam de moribus tractationem omitteretur. Itaq; tribus ex libris, quibus tota hæc ars continetur, Prior de felicitate hominis inſtitutus eſt. Secundus de affectibus, quòd in hoc Ethices philoſophiæ munus non minimum uerſetur: quodq; id à nemine, niſi ſparſim, ac ſine ordine, diuerſis in libris tractatum uiderim. Tertius, de uirtutibus, & earum uitijs contrarijs: quòd huc tota morum diſciplina refertur. Hos autem libros, à me breui nuper conſcriptos, ut in lucem ederem, nulla equidem ambitione accenſus fui, ſed frequens me amicorum exhortatio impulit: qui, quòd eos fore per utiles exiſtimarunt, feſtinandam editionem putauêre. Inter quos plurimum apud me Cornelij Valerij Vltraiectini auctoritas & iudicium ualuit: qui, ut eſt publicæ utilitatis ſtudioſus, quemadmodum ipſius ſcripta declarant: ita me non deſtitit frequenter incitare, ut hoc opus quamprimum in lucem ederem, ne illo diu carerent ſtudioſi. Cum ergo ſtatuiſſem illud ipſum publicare, ALFONSE præſtantiſſime, idem tibi uolui dicare: primò, quòd nulli melius offerri hæc de moribus tractatio potuit, quàm tibi, & docto, & uitæ probitate ſumma

ma prædito: (taceo enim nūc, quibus de cauſis deuinctus tibi ſim, atq; eſſe debeam) tum quòd in te omnium uirtutum, quibus de incidit diſputatio, imaginem, domeſticaq́; maiorum tuorum exempla ſemper perſpexerim. Siue enim prudentiæ, aut fortitudinis, ſiue magnanimitatis officia deſcribenda ſint, ex magno tuorum maiorum numero (ne nimium antiqua conſecter) occurret auus tuus Alfonſus *Agidarius, qui præter ſummam animi uirtutem, tum in domeſticis, tum etiam bellicis rebus, Granatenſiū Maurorū obſidionem præclaris geſtis ac morte ſua decorauit. Quo non inferior materni tui aui frater* Gonſaluus Ferrandez, *cognomento Dux magnus, extitit: qui conſilio, prudentia, uirtute atq; armis, Neapolis ac Siciliæ ditionē, Gallorum rege ter in acie deuicto, Imperio noſtro adiecit. Et ne plurium exempla commemorem, apertiſſimè quidem frater tuus* Petrus Ferrandez Cordubenſis, Comes Ferianus, *qua uirtute iam inde à maioribus hæreditate accepta ſitis, indicauit: cum eius clementia, liberalitate, uirtuteq́; Durenſium ciuitas, atq; adeò Geldriæ totius ditio, hodie conſeruata ſtet ab impetu militum noſtrorum, magnam illorum ſtragem expugnata urbe edētium. Qualis autē, aut quantus tu ipſe ſis, quamq́; eorundem ſimilis, hoc loco minimè referendum arbitror: ne tibi ea uelle in mentem reuocare uidear,*

quorum tumet probè tibi conſcius ſis, quæq; omnes in te laudant & ſuſpiciunt. Ergo tot cum ſint, tãq; iuſtæ huius mei operis tibi dicandi cauſæ, Alfonſe clariſs. accipies tu quidẽ ipſum ea benignitate, qua ſoles ſtudioſos omnes amplecti & ornare, ſimulq; animi erga te noſtri promptitudinem agnoſce, quæ ut hac in re eſt quodãmodo declarata, ita in omnibus tibi cupit ſatis facere. Vale.

ETHICES PHI=LOSOPHIAE COMPENDII,

autore Sebaſtiano Foxio Morzillo Hiſpalenſi,

LIBER. I.

Quid ſit Ethice philoſophia, & eius origo, ac diuiſio.

CAPVT I.

INter omnes artes, quæ humano ſtudio, ingenio atq; experimento compertæ ſunt, nulla eſt uel aptior ad cognitionem, uel ad communes uitæ uſus conuenientior, quàm morum philoſophia. Hæc enim diuino munere non ad inanem contemplationem, ſed ad uitam rectè inſtituendam conceſſa nobis eſt. Quæ tanto cæteris diſciplinis eſt præſtantior & utilior, quanto recta hominis inſtitutio cognitionem omnem antecellit. Diſciplinam hanc Socrates auocatam è cælo, primus omnium tradidiſſe, ordineq; ac uia docuiſſe fertur, cum naturæ inueſtigationem humanæ uitæ inutilem iudicaret: quemadmodum diſcipulus eius Plato teſtatur. Eandem ipſam à Socrate recens natam, & ab officio morum inſtituendorum ἠθικὴν nominatam, diuinus Plato exce

pit, amplificauit, & illuſtrauit ſcriptis: Ariſtoteles uerò, Platonis exemplo eam ratione ac uia expoſuit apertius. omiſſaq; illa Socratis in diſputãdo dubitatione (qua in ſcriptis ſuis Plato utitur) ad uiam faciliorem reduxit. Quam quidem diſciplinam cum ille paulo antè inuentam, nec omnino à philoſophis alijs explicatam, ſuſcepiſſet tradendam, non tam breuiter & accuratè potuit literis mandare, quin diffuſus in multis, conciſus in alijs more ſuo fuerit, uimq; ipſius non ſatis expreſſerit. Nos ergo, non ut illo melius quicquã afferre huc putemus, nec ut ab eius ſententia prorſus diſcedere uelimus, uniuerſam Ethices philoſophiæ rationem compendiaria faciliq; uia in his libris docere conabimur. In primis tamen, ut noſtra ordine pro grediatur oratio, quæ ſit huius doctrinæ uis expli cetur. ſic enim obſcuritati tractationis magis erit conſultum. Duæ ſunt humani animi uires, ut omnes Peripatetici tradunt: una, ueri cognoſcẽdi, ex qua omnis naturæ inquiſitio naſcitur: altera, agẽdi, ex qua morum informandorum doctrina, quæ Græcis ἠθικὴ dicitur. Cum autem diſciplina hæc morum in hominum actionibus uerſetur, abundè erit ipſius uis explicata, ſi ars hominis mores rectè inſtituẽdi definiatur: ſiquidem ſubiectum eius, & materia circa quam uerſatur, humanæ actiones ſunt: finis autem, rectè informare ipſas hominum

actio-

actiones. Quamobrem ſic cenſeo hanc artem commodè deſcribi poſſe, ſi ab eius ſubiecto, fineq́; deſcriptio, ut in alijs artibus, petatur. Hæc porrò quanquam unum habeat & idem officium, quod in hominis inſtituenda uita conſiſtit: tamen ſi diuerſa ratione conſideretur, à philoſophis tripartitò diuiditur. Nam ſi ad unius hominis inſtitutionem referatur, μοναστική, id eſt ſolius hominis propria dicitur: ſi ad familiam, resq́; domeſticas, οἰκονομική, quam Latinè familiarem appellare poſſumus: ſi deniq; ad Reip. gubernãdæ rationẽ, πολιτική, id eſt ciuilis. Quæ quidem tres partes, cum ſubiecto ſolum inter ſe differant, una tamen ratione, ordineq́; naturæ connectuntur. Primò enim inſtituendi homines ſunt: deinde familiæ, quoniam hæ ſingulis ex hominibus conſtant: poſtremò ciuitates, quæ auctore Ariſtotele, amplæ quædam, lateq́; propagatæ familiæ ſunt. Ergo duabus huius philoſophiæ partibus, ciuilẽ dico, & familiarem, breuiter his explicatis, prout rei poſtulat tractatio: Monaſtica præſertim, quæ reliquas complectitur, quæq́; à ſui præſtantia communi nomine Moralis appellatur, fuſius & explicatius tradẽda nobis eſt. Nec uerò in hac arte neceſsitatem aliquam probandi, ex naturæ ui adductam, ut in alijs, requirere debebimus. eſt enim ipſa probabilitate ſolum contenta, utpote quæ diſſerat de hominum a-

ctionibus, quæ uolũtariæ ſunt, quæq́; ſubinde mutantur pro loco, tempore, & occaſione: cuiuſmodi quidem rerum nulla certa, firmaq́; ſcientia teneri poteſt. Itaq; longè commodius erit, & huius ſcientiæ cognitioni conuenientius, ſi actionum humanarum ordinem in ea explicanda ſequamur, ut ex medio communis uitæ uſu neceßitas probandi, quantum ſubiectæ rei natura poſtulet, exemplis ac teſtimonijs ad rem quanq; accommodatis à nobis petatur. Quare ut actiones hominum, quæ ſole ratione fiunt, ad finem aliquem ultimum referuntur: priusq́; finis animo concipitur, quàm ad eum aſſequẽdũ actiones dirigantur: ita in hac morum philoſophia, præponenda eſt quæſtio de ſummo bono, ad quod omnia referantur: tum de actionibus, quæ ad illud pertineant, tractatio ſubiungetur. Quoniã etiam actiones eædem aut bonæ aut malæ ſunt, bonisq́; finem propoſitum aſſequi conamur, malis uerò longè ab eo declinamus: de utriſq; ſanè dicẽdum eſt, non ſolum ut actiones quibus fœlicitatem adipiſcimur, exponantur, ſed etiam ut contrariæ, quaſi morbi quos curari oporteat, dignoſcantur. His igitur in uniuerſum propoſitis, de fine omniũ extremo, quem τέλος Græci, nos autem fœlicitatem, beatitudinem, ac ſummum bonum appellamus, deinceps diſſeratur.

Eſſe

Eſſe aliquod ſummum bonum, idemq; unum, & perfectum: ſententiæq; philoſophorum de hac re. Cap. 2.

Eſſe aliquod rerum omnium ſummum & extremum bonũ, quod homines natura ſua expetant, & in quo aſſequendo laborem omnem ponant, nemini dubiũ eſt. Hoc enim ab *animantibus rationis expertibus differimus, quòd nullum illa ſuarum actionum finem ultimum ſibi proponunt, ſed ad id ſolum quod præſens eſt, naturæ quodam impetu ferũtur: homines autem, quicquid agimus tum maximè ad extremum quiddam, idq; optimũ cũ finis alicuius cauſa id agimus, cogitationes omnes, actionesq; noſtras dirigimus.* Siquidẽ hoc *proprium rationis eſt, qua ſoli homines prædití ſunt, ut finem aliquem ſuarum actionum expetant.* Huiuſmodi *uerò finis natura ſua bonus eſt, quoniam omnes cupiditate boni alliciuntur: nemoq; adeò rationis expers inuenietur, qui quod apertè malum eſſe uideat, expetendum ducat, niſi boni ſpecie decipiatur.* Quo *fit, ut ſi ſit finis aliquis humanarum actionum, eum eſſe natura ſua bonum oporteat: ipſumq; tanto meliorem cæteris finibus, quanto remotior ab his rebus, quæ facile comparantur, fuerit.* Et *quidem ſi ſummum bonum extremus finis eſt, illudq; propter ſe expetitur, reliqua uerò eius cauſa: idipſum eſſe ſuapte natura optimum,*

mum, perfectiſſimumq́; fatendum erit. Cum igitur eſſe aliquod ſummum bonum apud omnes conſtet, naturaq́; cuncti propenſi ad illud ſint, dubium adhuc inter philoſophos eſt, quód nam ſit idem. Nã *omnes hoc ſaltem non ignorant, ſummum bonum id eſſe, cuius gratia reliqua omnia fiant, ipſum autem nulla alia de cauſa: idemq́; optimum ac perfectiſſimum quiddam, quod ſibi ipſi ſufficiat, quodq́; ſit propter ſe ſolum expetendũ, eſſe cenſent. quod uerò ſit illud, nulli aſſequuti ſunt: ſed quaſi de fœlicitatis nomine, non de re ſumma diſceptarent, à recta ueritatis uia longiſſimè deflexerunt. Cum enim in fœlicitate duo hæc ſpectẽtur, & obiectum, quod origo ac fons illius ſit, in cuius adeptione efficimur beati: & id quod à nobis comparatur, quoq́ue adepto fruimur: hoc quidem omnes, quid eſſet, agnouere, illud autem conſequi non potuerunt. Siquidem in extremi boni adeptione ſitã eſſe fœlicitatem, nemo eſt philoſophorum omniũ qui ignoret: ſed quod ſit illud bonum ultimum, minimè adhuc inter ipſos conſtat, planeq́; omnes hac in re diſſentiunt uſq; adeò, ut ducentas, & eo amplius philoſophorum ſententias de ſummo bono à Varrone commemoratas, diuus Auguſtinus affirmet. Epicurus enim in uoluptate ſitam eſſe fœlicitatem putauit. Cyrenaici in honeſtate, cum uoluptate coniuncta: Diodorus in doloris priuatione:*

Herillus

Herillus in ſcientia: Zeno, & cum eo tota Stoicorum natio, in uita quadã naturæ congruenti: reliqui demum in alijs. nemoq́; illorum tam eſt alteri conſimilis, ut in ea re cum illo planè conſentiat. Nos tamen eorundem omnium ſententias minimè perſequemur, aut denuò refutare conabimur: quãdo id eſt à Platone, Ariſtotele, Cicerone, Lactantio, alijsq́; multis factum. Vnum igitur eſſe, ſimplexq́; bonum hoc ultimum quod quærimus, non plura, manifeſtum eſt: ſi ſummi boni naturã, qualis à nobis ſtatuitur, ſpectemus. Plura enim perfecta, & propter ſe ſolum expetenda bona eſſe non poſſunt: ſed illud unũ, perfectumq́; ſolũ eſt, quod propter ſe ipſum expetitur, & non ob aliud. De hoc ergo, quód nam ſit, dicendum modò eſt, ueraq́; de illo ſententia explicanda, quando philoſophorum omnium ſententiæ ueræ eſſe omnes non poſſunt, quin aut una ex ijs uera, aut falſæ cunctæ inueniantur. Sed antè tamen quàm quod ſit ſummum bonum ſtatuamus, (nam quid ſit, antea deſcripſimus) Platonis et Ariſtotelis ſententias ea de re, alijs omißis, ſubijciamus: ut quoniam hæ ſunt pleriſq́; magis receptæ, eædemq́; magna doctorũ philoſophorum autoritate nituntur, ſic præcipuè à nobis examinẽtur. Plato igitur in Philebo, ac lib. de Rep. locisq́; alijs, ſummum bonum ſtatuit in primi boni, ſiue in ideæ boni contemplatione: negatq́;

ullam

ullam in humanis rebus fœlicitatem poni oporte-re, ſed ueram eſſe beatitudinem cenſet, primo illi bono, ac menti quàm ſimilimum hominem reddi. Deum enim ille tum primum bonum, tum ideam boni, tū mentē, tum ipſum ens uocat. in huius ergo Dei contemplatione conſtitui fœlicitatem exiſti-mauit: atq; hanc etiam eſſe ipſius ſententiam, non modò ex eius ſcriptis conſtat, ſed omnes Academi-ci uno ore confirmant. Idenim Apuleius Alcino-usq; de illo teſtantur: idem fatetur Plotinus in li-bro de primo bono ac beatitudine, Iāblichus, Pro-clus, Porphyrius, ac reliqui omnes. Iam uerò Ari-ſtoteles à magiſtro Platone diſſentiens, duplicem fœlicitatem in Ethicis ad Nicomachū retulit: al-teram libro primo, alteram uerò decimo. atque il-lam quidē in actione uirtutis perfectæ in uita per-fecta collocauit, hanc in cōtemplationis uolupta-te. Duplicem enim ille hominem putauit eſſe: unū corpore utentem, hoc eſt animal ipſum ex animo corporeq; conſtans: alterū à corpore ſegregatū, & ſola mente uiuentem. atq; huic quidem contem-plationis fœlicitatem attribuit, quod hæc ſit mē-tis à corpore ſeparatæ propria: illi autē actionis, quòd uirtutis actio non animi tantū peculiaris ſit, ſed corporis etiā, cuius utitur miniſterio. Ideo uir-tutū ipſarū alias ἀνακτητικὰς, id eſt intelligibi-les, ut ſic loquar, quas ad cōtemplationis beatitu-

dinem

dinem refert: alias ἠθικάς, id eſt morales, quas in actionis ſummo bono ponit, eſſe exiſtimauit. Qua in re Ariſtoteles cum Platone quodammodo conſentiens fœlicitatem quandam contemplationis ſtatuit. quamuis quo tempore eadem comparetur, in uita'ne hac an poſteà, non explicuit. In altero uerò ſummi boni genere, quod ponitur in actione, ab illo planè diſſentit, qui nullam eſſe in hac uita fœlicitatem putat.

Examinatio Platonicæ & Ariſtotelicæ ſententiæ de ſummo bono.

Cap. 3.

His ita ſtatutis, breuiter examinandæ ſunt duæ ſuperiores ſentētiæ, ut in hac quæſtione perdifficili ueritas inquiratur: nec ſola ducti auctoritate, quaſi pudore quodam affecti, tueri uerum recuſemus. Quare ut primùm de Ariſtotele loquar, cur duplex ſit fœlicitas, non uideo, cum finis ultimus unus tantum ſit, multiq́; eſſe perfecti non poßint. Nam aut ambo illi fines æquè ſunt perfecti atq; ultimi: aut eorum unus extremus, alterq́; intermedius. Vtrunque eſſe ultimum & æquè perfectum, nec rationi eſt cōſentaneum, quādo unum eſt duntaxat ſummum bonum: nec ipſemet Ariſtoteles admitteret. Si uerò eorum unus eſt ultimus, alterq́; ad illum medius, multo etiam magis ſummi boni unitas confirmatur, cum finis ille

quodam ſpiritu concitati confirmant, cum Ouidius de Actæone, Cadmi nepote, loquens dicat:

Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt, diciq; beatus
Ante obitum nemo poſtremaq; funera debet.

Sed demus, ſi placet, Ariſtoteli, eſſe aliquem in hac uita fælicem: eiq; illud ſummum bonum tribuamus, quod ipſemet ſtatuit: fingamus deniq; quendam qui uirtutibus omnibus ſit præditus, perfectamq; uitam, ac tribus illis bonis, animi, corporis ac fortunæ affluentem degat: quem propinquorũ fortunæ aut calamitates non perturbent, & qui perpetua, ut idem uult, tranquillitate fruatur. An uerò ſummum hoc bonum Ariſtotelis, minus eſt in idea poſitum, quàm Platonicum illud, quod ipſe libro primo ad Nicomachum reprehendit, eo quòd nullo modo poßit acquiri? Nam ſi quod ſummum bonum ſtatuimus, neceſſe eſt eiuſmodi ſtatuatur, quod uel aliqui fuerint aſſequuti, uel aliqua ratione queat comparari. Atqui fœlicitatem hanc Ariſtotelis, nemo eſt qui fuerit aſſequutus, neq; aſſequi quiſquam poteſt: nõ ergo fœlicitas dicẽda eſt. Nec enim Crœſus Lydorũ rex opulentißimus fœlix iudicandus fuit, cũ à Cyro captus, regnoq; pulſus, & poſtremò morti obiectus fuerit: non etiam Priamus, qui miſerè regnum amiſit, ſuorumq; uidit ſeruitutem ac cædem: non Alexander magnus,

qui nec uirtutis actione utebatur, ſed ebrietati uitijsq; alijs deditus fuit: non Cæſar, in tot uictorijs, rebusq; præclarè geſtis, cum interfectus fuerit in ſenatu: non deniq; alius quiſquam mortalium omnium. Quod ſi autem fœlices eſſe ij magni uiri nõ potuêre, nec ad tantum humanæ fœlicitatis faſtigium ullos perueniſſe legimus: quem tandem beatum ſtatuemus? Num M. Regulum, uirum quidem optimum, ſed calamitoſum? an Scipionem, magnis uictorijs illuſtrem, in exilio tamen mortuum? an Themiſtoclem & Ariſtidem Athenienſes? an alium quẽquam aut Romanorum, aut nationum exterarum? Ergo ſi ne homines quidem potentiſſimos, uirtute præditos eſſe, ac bonos ipſos ærumnis & calamitatibus oppreſſos frequenter fuiſſe ſcimus, nemoq; unquam tam quieto tranquilloq; animo uixit, quin fortunæ caſus ſenſerit: certè in hac uita fœlicem eſſe nullum, fatendum eſt. præſertim cum in eodem & uirtutes animi, & dotes corporis, & ſecundæ fortunæ aura aſpirare ſimul non poſſint, aut perpaulum durauerint. Quid igitur? breui'ne temporis duratione fœlicitatem metiemur, dummodo tria illa bona, animi inquam, corporis & fortunæ, coniuncta inueniantur? Minimè quidem, cum temporis diuturnitas, atq; adeò æternitas ipſa beatitudinem metiatur: non temporis hoc exiguum ſpacium, quod uiuitur. Num etiã ex uno die

tam

tam fœlicem aliquem iudicabimus, quàm ex tota æternitate? Nullo ſanè modo. Nam ſi quid æternũ eſt, idem profectò naturæ præſtantioris erit, quã illud quod breui tẽpore cõficitur: alioqui à diuinitate caducæ res nihil differrent. Quoniã autẽ maiorem habent diuinæ res & in intelligentiam cadentes, eſſentiam, quàm corporeæ, illisq́; æternitas, atq; his tempus competit: maiorẽ eſſe diuturnã fœlicitatem breuiori neceſſe eſt. imò dici fœlicitas non poteſt, ut idem ait Ariſtoteles, quæ uno die, pluribúsue fœlicem hominem efficit. Cum ergo nõ duplex, ſed unicum eſſe ſummum bonum: idemq́; à nemine cõparari poſſe in hac uita, ſed poſt mortem, perſpicuum ſit: falſum eſſe Ariſtotelis ſententiam, relinquitur. Niſi fortè dixerimus, fœlicem iudicari aliquem ex ijs qui apud nos ſunt, ab unico illo patientiæ exemplari Iobo, cum ait: Homo natus de muliere, breui uiuens tẽpore, repletur multis miſerijs. aut quòd nos Sacræ literæ ſolicitos de futura fœlicitate eſſe prohibeant, iubeantq́; potius præſentis ſeculi bonis contentos, umbratilẽ uitã agere, nihilq́; amplius diuiniusq́; requirere. Et ne rem luce clariorẽ, rationibus ac teſtimonijs pluribus confirmem, ad Platonem noſtra ſe conuertat oratio. Equidem cum hanc eius de ſummo bono ſententiam conſidero, ipſumq́; uideo in primi boni contemplatione fœlicitatem hominis ſtatuiſſe,

 expreſ-

expreſſam quandam religionis noſtræ imaginem agnoſco. Nam ſi primum bonum, ſiue boni ideam quam τἀγαθὸν uocat, Deum eſſe cenſet, ut ſentire ipſum omnes affirmant, atq; in huius contemplatione ſitam eſſe beatitudinem putat: hac ſane nulla uerior, nec noſtræ religioni conuenientior, philoſophorum omnium ſententia eſt: cum nemo adhuc quæ ſit ſummi boni ſedes, nec tam apertè, nec tam uerè explicuerit, quàm ille. Qua ex re liquet, falſo ab Ariſtotele Platonem reprehendi, quòd ſummi boni quandam ideã poſuerit, per ſe à reliquis bonis ſeparatã, in cuius adeptione beati efficiamur: cum hac eiuſdem ſententia ſublata, Deum ſimul, fœlicitatemq; ueram tolli neceſſe ſit. Sed ſtudio, ut arbitror, euertendi Platonis ideas, hoc fecit Ariſtoteles: quemadmodum Platonici omnes, & Euſtratius etiam Nicenus epiſcopus, qui eiuſdem obiectiones in illum diluit, teſtantur. Verùm nos huius rei quæſtione, quæ ab inſtituto noſtro aliena eſt, nunc omiſſa, ad rem ipſam redeamus.

Comprobatio Platonicæ ſententiæ de fælicitate, & quid'nam uerè hæc ſit. Cap. 4.

Ex omnibus ergo philoſophorum ſententijs, ſi uerum fateri uolumus, Platonicorum eſſe uerißimam, ac noſtræ religioni ſimillimam, conſtitutum iam ſit. Nunc ne alios ſolum improba re,

re, noſtramq́; ſententiam proferre, ac tueri nolle uideamur, quæ tandem ſit hominis fœlicitas, explicetur. hoc enim cognito, totius tractationis fundamenta iacta nobis erunt. Animantium omnium ſolum eſſe uirtutis ac religionis participem hominem, philoſophi omnes aſſerunt. Quoniam uerò hac uia fœlicitas patet omnibus, nullaq́; alia ratione poteſt comparari, ſolius eſſe illam hominis propriam neceſſe eſt. Nec enim aut equi, aut bouis aut reliquorum animantium ratione carentium fœlicitatem eſſe putandum eſt, cum hæc uirtutum actione, pietateq́; comparetur, bruta uerò actionibus huiuſmodi careant: nec in eum uirtus cadere poſſit, in quo ratio & uoluntas non ſit. Quòd ſi ergo unius hominis propria eſt fœlicitas, nec cum alijs animantibus communicatur, profectò non in quauis eius parte conſtituenda erit: ſed in ea præſertim, qua uerè homines ſumus, quaq́; una ſegregamur à reliquis. Et quia in homine animus præſtantiſſima eſt pars, eaq́; Dei ſimilitudinem habet: idē quoq; capax erit fœlicitatis, quando bonarum eſt actionum initium. Idemq́; certè priuato Dei beneficio immortalitate donatus eſt, cum ortus ſui habeat principium, ut fœlicitate, quæ in ſola conſiſtit immortalitate, frueretur. Nam corpus quidem terrenum, & commune cum brutis, mortiq́; obnoxium ſortiti, ſolo animo uiuimus: beatitudo autem

perpetua cum ſit bonorum affluentia, conſtituenda in ea parte neceſſariò eſt, quæ nunquam intereat. Iurè igitur & in ſolo animo fœlicitas ſita eſt, & ipſius adeptio cum illo ſimul immortalis exiſtet. Quanquam non inficior, in extremo mundi exitu eiuſdem corpus fore particeps, ut ſuo loco dicetur. Summum itaq; hominis bonum, ut à nobis tandem definiatur, eſt perpetua quædam, & conſtans cernendi Dei fruendiq; uoluptas, quæ ſe ipſa contenta, nullis eget rebus externis, quæ nulla ſollicitudine aut metu calamitatis affligitur: ſed hoc ipſum quod eſt, præſens eſt, & ſtabile, permanensq; ſemper bonum. Quod ſanè cum ab his rebus terrenis longiſſimè ſit remotum, nec in ipſa hominis uita poſſit collocari, deſuper (ut Plato inquit) petendum eſt, nec in rem aliam ſpes eius conijcienda. Nam ſi noſtra hæc uita corporea calamitatibus, infortunijs, corporis & animi morbis, mutationibusq; perpetuis obnoxia eſt: nemoq; uixit tam fœlix, quin uel minimam aliquam mutationē ſenſerit, ſummum autem bonum eiuſmodi nihil admittat: relinquitur, in ſolo Dei intuitu fœlicitatem eſſe collocandam. Hæc ſiquidem uera uita æterna eſt, ut per Iohannem Chriſtus loquitur, ut cognoſcant te homines Deum ſolum ac uerum, & IESVM Chriſtum filium tuum. Tunc enim, referente Paulo, eum facie ad faciem uidebimus, id quod

ſumma merces eſt animi, ac præmium. At uerò dubium fortaſſe hic uideatur, quæ nam hæc ſit fœlicitas, à nobis modò deſcripta? aut quo pacto quis eam poßit acquirere: cum talis beatitudo debeat proponi, quam poßint homines comparare: Deũ autem, ut corporis expertẽ, ſolaq́; mente uix perceptibilẽ, nemo queat præſens intueri. Certè multo hic magis adducta fœlicitas confirmatur, ubi maior eſſe dubitandi locus uidetur. In primis hoc conſtat apud omnes, duplici natura homines componi: nihilq́; ſimplex, ac terrenæ concretionis expers, uel ſenſibus poſſe capere, uel mente ipſa ſine corporis ueſtigijs comprehendere. Deum autem, qui oculorum omnem obtutum, mentisq́; contemplationem fugit, nemo poteſt intelligentia percipere, niſi ſe ipſum in mentem ſinceram conuerterit. Num ergo beati erimus, ſi nec ſenſibus, nec mente Deũ capere ualemus? Maximè uerò. Deus enim benignitate ſua, naturæ noſtræ imbecillitatẽ adiuuat: plusq́; ex ſua liberalitate cõcedens, quàm noſtra fert tenuitas, nos ipſos comprehendit, diuinitatisq́; facit participes: ex quo noſtra fit beatitudo. Id uerò qui fieri ſic poteſt, cum finitudo noſtra, ut ſic loquar, nequeat infinitatem Dei capere? Nẽpe hoc ipſum quod aſſequimur, diuino munere tributũ nobis eſt. neceſſe enim eſt, prius Deo ſimiles nos effici, eidemq́; per gratiã uniri, ut eius

lumine lumen ipſum fœlicitatis cernamus. Hæc demum eſt uera illa beatitudo, & actionum humanarum extremum: reliqua uerò non bona, ſed ſpecie bonitatis obducta mala, quæ miſerrimos reddunt homines, quæq; plus pollicentur quàm præſtant. Quid enim illa uirtutis actio externis bonis affluens, per ſe ad fœlicitatem efficiet; ſi fœlicitas in mentis tranquillitate, uirtus in actione cōſiſtit? Quid enim uoluptatis adeptio, aut omnium artiū cognitio, ſi hæc ipſa maior ſolicitudo ſequitur, ac dolor? Quid ſi demum congruentem naturæ uitā agamus, ideo' ne erit conſtituēda in hoc fœlicitas, cum & noſtra natura ſit per ſe ſatis uitioſa, & miſerijs multis obnoxia? Hæc igitur non uerorum philoſophorum, qui ſciētiæ ſibi nomen uendicant, ſed uulgarium ſententiæ ſunt, quas uel homo mediocriter inſtitutus falſas eſſe perſpiciat. At illi, dices, diuino lumine priuati, ſolum id aſſequuti ſunt, quod homo diligens & doctus natura duce poterat animo attigiſſe. Nūquid ergo uim magis naturæ Stoici, Epicurei, Cyrenaici, Peripatetici agnouêre, quàm Platonici? aut quod illi putauerunt, magis erat naturæ conſentaneum, quod hi ipſi? Chriſtianus igitur hac ratione Plato, qui fœlicitatem in Dei contēplatione poſuit: Chriſtianus Plotinus, qui hominem Deo frui uerum eſſe ſummum bonum affirmat: Chriſtianus Iamblichus, Proclus,

ac tota Platonicorum ſchola, quæ religioni noſtræ hac in re uidetur conſentire. Atqui hi naturæ ui ſolum, non noſtræ religionis ſplendore illuſtrati, hæc de ſummo bono ſtatuerunt. Quod ſi autem diuino teſtimonio, naturæ ui, ac ratione conſentiente, nullam aliam fœlicitatem eſſe quàm Dei *præſentis intutum conſtat: fateantur ergo errare ſe reliqui omnes, quicunq; ab hoc diſſenſerint, noſtræq; pareant ſententiæ, aut illi quæ ſimillima ſit noſtræ.* Et *ne ſola noſtrorum auctoritate niti, in ſententia hac confirmanda uideamur, proferamus aliqua philoſophorum teſtimonia, quibus nos ueram fœlicitatem agnoſcere fatentur. Plato ut hunc proferam potiſsimum, in decimo de* Rep. lib. *Iuſtorum, inquit, animos ad dextram in ſupernum cœli locum efferri, ibiq; adeò beatos effici: contrà uerò, improborum inferius ad tartara deturbari, flagitiorumq; pœnas ibi dare. Ariſtoteles lib. decimo ad* Nicomachum, *fœlicitatem in hominis cum* Deo *ſimilitudinem per uirtutem, quoad eius natura patiatur, collocat. Quanquam non uidit, eam ſimilitudinem in hac uita corporea nequaquam comparari poſſe. Plotinus tum in libro de fœlicitate, beatitudinem eſſe inquit,* Dei *contemplationem: tum in eo qui de* Bono *inſcribitur,* Deo *frui, ſummum eſſe hominis bonum ſtatuit. Prophyrius in lib. de Animal. Abſtinentia, non in artium con-*

templatione, ſed in uita translata in diuinorum na turam, Deiq́; cognitione fruente, eandem beatitudinem ponit. Et ne aliorum teſtimonia in medium adducam, Academici quidem omnes ſi nõ apertè, obſcurè tamen, & paucis immutatis, idem quod nos ipſi, de fœlicitate putauerunt. Quæ igitur eſſet uera fœlicitas, breuiter ſit hactenus dictum.

Qualis ſit fœlicitas, ſententiæq́; philoſophorum de hac re. Cap. 5.

Reſtat, ut qualis ſit ea ipſa, ordine propoſito doceamus. Itaq; in primis qualem eſſe illam philoſophi aſſeruerint, non ſtudio contradicendi, ſed ueritatis illuſtrandæ, ſententiasq́; illorũ recognoſcendi cauſa oſtendamus. Veritatis enim ſtudium uel cuiq; ſummi philoſophi auctoritati præponendum eſt, ut ait Ariſtoteles: tum præcipuè à philoſophis, quorum eſt munus ueritatem inueſtigare, fieri hoc debet. Platone ſiquidem & Socrate amicis, cariorẽ ſibi eſſe ueritatẽ, ille dicebat. at nos non ſolũ ipſi Ariſtoteli ac Platoni, quibus multum tribuimus, ſed philoſophis etiam omnibus illam ipſam anteponendam cenſ-mus. Ita fiet, ut ſi eorum auctoritati nonnunquam refragemur, modò id ſit rationi ueritatiq́; conſentaneum, ferendum quidem ſit ab eorum ſtudioſis: quando in ijs quæ uera ſunt, eoſdem ſequimur: nec magis ipſos refutare, quàm ueritatem euoluere, & illuſtrare

ſtrare uolumus: quæ prorſus integra illorum au-
ctoritate, tradi non poteſt, niſi planè ueritatem au
ctoritate cuiuſquam metiamur, & Pythagoreorũ
exemplo ad rem aliquam confirmandam ſatis eſſe
illam putemus. Veniamus igitur ad Philoſophorũ
de ſummi boni adiunctis ſententias, ſtatuamusq́;
tandem, quid eorum quiſq; uel rectè, uel malè ſen
ſerit, ut ex omnibus uerum eliciamus. Ariſto-
teles cum duas eſſe fœlicitates, uti diximus, puta-
rit, unam in actione uirtutis poſitam, alteram in
cõtemplatione, diuerſa illis commoda arbitratu
ſuo uoluit attribuere. Nam actuoſæ quidem illi &
inquietæ, primò adiungi bona corporis cenſet, ne
uirtus animi carere aliquo bono uideretur: quaſi
ea corpore integro et uegeto, manere integra poſ
ſit, ac non potius eneruetur. Idem præterea diui-
tias, amicos, honorem, propinquorum (non quidẽ
omniũ, ne ſe ad multos charitas diffundat, ſed pro-
ximorum) res ſecundas, diuturnitatem uitæ, reli-
qua demũ illa externa, quæ uulgo reputantur bo-
na, neceſſaria eſſe ad ſuam fœlicitatem exiſtimat:
quoniam eam uidelicet in actionibus reip. uerſari
uoluit. Atq; hanc etiam quamuis perfectam in ſuo
genere beatitudinem, tamen alteri illi quæ in con-
templatione uerſatur, ſubijcit: quia tanta ſcilicet
erat philoſophorum arrogantia, ut in rerum con-
templatione ſummum bonum ſtatuentes, reliquos
illius

illius expertes communi bono priuari uellent. Nã ut hominis totius præſtãtiſsima pars eſt mens, huiuſq; actiones ceteris longè antecellunt: ita in eius actione fœlicitas, id eſt, in contemplatione ab Ariſtotele ponitur. Quam ob cauſam ocium, nullius rei curam, longam uitam, neceſſariarum rerum affluentiam, eiuſmodi homini contemplanti adiungi idem uult. Atq; hæc eſt ſummi boni quaſi qualitas ab Ariſtotele, ac Peripateticis deſcripta. Iam uerò Platonici multo aliter fœlicitatem illam ſuam depinxêre, boniſq; alijs exornarunt. Nam Plato duplex, ut nos etiam, ſummũ bonum agnouit: unum primum quod ſit ſedes & obiectum noſtræ felicitatis, id eſt Deum: alterum non ex ſe, ſed ex illius communione bonum, hoc eſt noſtram fœlicitatem. Atq; illud quidem ſummo honore dignum, ſupremum ac uerum bonũ appellat, ipſumq; negat poſſe facile inueniri: aut ſi inueniatur, nefas eſſe, quid ſit, in lucem proferri: hoc autem noſtri primi boni participatione bonum eſſe, ideoq; diuinum, ac pulcherrimum quiddam appellat. reliqua uerò omnia, quæ uulgares in bonis ducũt, ut ſanitatem, uires, diuitias, dignitates, bonitatis ſolum nomine gaudere, inquit: ex ſe tamen non eſſe, niſi ad rectũ uſum accommodentur. Quid, quòd ipſam fœlicitatem hominis non in rebus humanis, ſed diuinis ſanctiſq; collocat: cui Dei quoq; noticiam cenſet tribuendam,

endã, quòd qui eam fuerit cõſecutus, fœliciſſimus ſit iudicandus. Atq; hæc ille in libris de Legibus, ac de Rep. & ſparſim alijs in locis. Idẽ quoq; in Theæteto beatitudinẽ eſſe inquit ab his rebus corporeis fugere, ſimilemq; Deo fieri. Hoc ipſum in ſermone illo Socratis ante mortem habito in Phædone, & Apologia multo magis declarans, propoſita eſſe ait, iuſtis hominibus præmia pulcherrima & diuina, quibus qui ſint donati, Deo ſimiles efficiantur, & in numero Deorum habeantur. Hæc omnia, atq; alia religioni noſtræ conſona diuinus Plato refert. Nec minus eadẽ Plotinus in libro de Beatitudine ſenſit, qui eam bonum eſſe intelligibile ac ſimplex affirmat: quod qui fuerit conſequutus, nihil extra mentem requirat, cum eius oculum in æternam intelligentiam conijciens, fœlicitatem inde habeat, omnemq; in ſe uoluptatem poſitam obtineat. Deniq; fœlicem eum ſtatuit, qui in intelligentiã quaſi ſit iam conuerſus, exuta omni corporeæ naturæ labe, totusq; ex Dei cõtẽplatione pẽdeat, cætera uerò omnia negligat. Quid uerò Iãblichus? ẽ fœlicitate inquit homines cum Deo copulari, eundemq; uerè tunc agnoſcere? Quid etiam Porphyrius, præceptor huius, ac Plotini auditor? non ne Dei filios nos eſſe, & fœlicitatis præmio ab hac uita ueluti ab exilio reuocatos donari, ad illumq; redire, ſimiles ei fieri refert? Quid Proclus? Quid

tota Platonicorũ cohors? nunquid à magiſtro Platone in hoc uno diſſentit? Omnes igitur Philoſophi rem eſſe ſupra hominis naturam ineffabilem, diuinam, omni laude maiorẽ fœlicitatem agnouere. Vnde Ariſtoteles quoq; ipſe illam inquit bonũ laude dignum non eſſe, quando laus omnis propter aliud quicquam bonum, quod ſupra rei laudatæ naturam ſit, cuiq; tribuitur, fœlicitas autem laude ſit omni præſtantior. Sed his ita explicatis, qualis ſit uera fœlicitas, deinceps doceamus, obiterq́; eorundem philoſophorum adductas ſententias examinemus.

Ariſtotelis ſententia confutata, quæ ſint ueræ fælicitatis adiuncta dicuntur. Cap.6.

CHriſtianam fœlicitatem, ac ueram, quæ in præſentis Dei intuitu conſiſtit, bonum eſſe præſtantiſsimum, quod naturam omnem, captũq; hominis excellat putandum eſt. Nam ſi rem quãq; tanto eſſe alijs præſtantiorem iudicamus, quanto ad rem excellentiſsimam magis acceſſerit: profectò quia Deus ſupremum eſt, atq; ultimum bonũ, præſentem eius cognitionem perfectiſsimam rem eſſe, laudeq́; omni maiorem neceſſe eſt. Hoc enim eſt illud diuinum æternumq́; premium iuſtorũ hominum actionibus propoſitum: quod, ut Paulus refert, nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor

hominis

hominis aſcendit. Hanc ipſam fœlicitatem, cũ nec, dum uiuitur in hoc mundo, conſequi, neq; corpori incluſi homines ea frui ob naturæ imbecillitatem poßint, poſt hanc corporis molem exutam, purgatis animis comparandam eſſe conſtat. Nemo enim ut Sacræ literæ monent, Deum uidebit, ac uiuet: quoniam nec corporeis ſenſibus rem ſimplicem, & expertem corporis, cernere oculis poterrimus nec ipſa mente ſine corporeæ concretionis ueſtigio comprehendere. Quo fit, ut Dei præſentis intuitus, in quo noſtram fœlicitatem ſtatuimus, poſt diſceſſum animorum à corpore diuino munere cõcedatur. Qua quidem ex re ueriorem eſſe Platonicorum, quàm Ariſtotelis ſententiam, concluditur: qui quanuis idem, quod nos Chriſtiana religione imbuti, perfectè aſſequi non potuerint, proximè tamen ad ipſam ueritatem accedũt. Nam quòd homines beatitudinem in actionum bonarum præmium ſint cõſecuturi, quodq; Deo ſimiles, planeq; naturæ intelligibiles reddantur, totiq; pendeant ex Deo, in eoq; omnem uoluptatem habeant, nulla alia re externa indigentes, commune quidem eſt nobis cum Platonicis. Quo autem modo fieri hoc debeat, qualis'ue ſit iſthæc fœlicitas, nec illi unquam ſunt aſſecuti: nec nos etiam aliquo modo aſſequi poſſemus, niſi à Deo ipſo edocti per IESVM Chriſtum eius filium eſſemus. Qua de re antè quã

aliquid

aliquid dicatur, nunquid Ariſtoteles rectè ſummũ bonum deſcripſerit, inquiramus. Cum unam, & æternam eſſe fœlicitatem iam liqueat, eamq́; nemo in hac uita poßit comparare: mirum profectò eſt, cur huic bona corporis, animi & fortunæ tribuat Ariſtoteles, cum non ſolum hæc uirtutes animi au gere, decorareq́; non poßint, ſed etiam impedimẽto ijs ſint. Nã quis obſecro tã bonus, tantisq́; orna tus uirtutibus extitit, quem uel corporis præclare dotes, uel fortunæ amplæ, ſuperbum & arrogantem non reddiderint, quemq́; ad turpißima uitia non induxerint? Siquidem præter id quod corporis ualetudo, robur, pulchritudo, agilitas, dotesq́; aliæ affectibus animum ſæpius perturbant, quàm ſi nihil horum adſit, quid? opes, amicitiæ, clientelæ, honores, dignitates, nobilitas, reliquaq́; bona externa, magis ne ſolent ad uirtutem homines alli cere, quàm ad uitia licentiamq́; perditam? Certè quamuis hæc omnia per ſe ipſa nec bona nec mala ſunt, tamen occaſionem uitiorum multorum præbent: naturamq́; noſtram ad uitia procliuem, ſæpe potius corrumpunt, quàm exornant. Vnde quoſdam philoſophos legimus, opes ſuas in mare proieciſſe, ut liberius philoſopharẽtur: alios bona cor poris neglexiſſe, ne ijs animus à uirtute abduceretur: alios parſimonia, labore, uigilijs corpus extenuaſſe, ut mẽs magis uigeret. Ex quo intelligitur,

nibil

nihil minus ad uirtutem conferre, quàm ſi corporis & fortunæ nobis bona ſuppetant, cum hæc potius ab illa nos distrahant: præſertim cum mundi huius bona uniuerſa tanquam pernicioſa, fugienda eſſe Christus præcipiat, quòd nemo poßit & mundo ſimul & Deo placere. Iam uerò ne omnia exactè percurrã, multo minus in hac uita eſſe illa mentis cõtemplatio, ab Ariſtotele adducta, poteſt: quando uera mẽtis noſtræ actio, ueraq; uoluptas, in Dei contemplatione ponitur. Nam ſi humanarum artium inquiſitioni inhærere mentẽ uis ſemper Ariſtoteles, quòd in ea ſit fœlicitas conſtituta, quid moleſtius quàm perpetuò torqueri in rimandis rerum cauſis, quas uel ſæpe inuenire nequeamus: uel quæ ſi magno labore inueniantur, alijs diſpliceant, magnaq; ſint contentione defendendæ? Quòd ſi uerò mentem diuinorum contemplationi deditam, beatam ducimus: cur non etiam eadem infœlix potius cenſebitur, quando id quòd aſſequi non poteſt, magno inueſtigationis labore exquirit: & ut Promethei iecur uultur ille, quod eſt in fabulis, ita nos leuis hæc contemplatio ſolicitet & angat. Ergo cum fœlicitas perfectißimum ſit bonum, ſummaq; uolu ptate plenum, non eſſe illam huiuſmodi perſpicuũ eſt. Cæterùm, ut nos tandem qualis ea ſit aperiamus, quando & quomodo homines felices iudicentur, doceamus. Humanus animus, dum à corpore

per mortẽ diſcedit, non antè poteſt fœlicitate propoſita perfrui, quàm omni uitiorũ labe purgatus, & quaſi aurum in igne probatus ſit. Qua cum frui cœperit, tunc demum rectè factorũ præmia conſequitur: relatusq; in numerũ animarũ fœliciũ, Deũ intuetur. Idẽ præterea, cũ omnibus uoluptatis bonis abundet, ſummaq; mẽtis trãquillitate cõtentus, Deo totus inhæreat: corpus tamẽ, quo fuerat indutus in hac uita, recepturus eſt tandẽ in extremo mũdi exitu: ut quemadmodũ idem bonarũ fuit actionũ ſociũ, ſic etiã æternæ fœlicitatis ſit particeps. Nec tamen omnes æquali fœlicitatis præmio donabuntur, ut nec recta illorũ facta æqualia fuere: ſed pro ſuis quiſq; meritis digna præmia recipiet: iiſdemq; cuncti contenti, & quieti erunt, nihilq; ſibi aut deeſſe putabunt, aut alijs inuidebunt. Nam ut uaſa diuerſæ magnitudinis, plena liquore aliquo ſi ſint, quod ſibi ſatis eſt, continent; nihilq; amplius deſiderant: ita hominum beatorum animi contenti ſuo bono erunt, nec ſe minus habere quàm alios exiſtimabunt. Atqui ſic, inquies, corpus alligari animo poteſt, in fœlicitate illa poſitũ, cum nec Deum ſicut mens capere poßit, nec in rem caducam terreamq; cadat immortalitas? Certè, quãuis animi propria ſit ſolum fœlicitas, corpusq; nequeat ſuapte natura illa perfrui: tamen priuato Dei munere, quod erat terreum & caducum, immortalitatis ſit parti-

particeps:quodq; animal (ut ait Paulus) ſatū fuerat, ſpiritale corpus ac tenue exurget: mutabiturq; non in animum, aut ſpiritum, ſed ei ſimile atq; accommodum efficietur. Itaque primùm Deo ſimiles animi reddentur, quando Deum coràm ſunt uiſuri: tum corpus tam fiet animo ſimile ac morigerū, ut ab eo facile quācunq; in partem deducatur, nunquamq; ipſi aut repugnet, aut aliud amabit ac uolet. Nam duo quidem illa, quæ ſibi perpetua contentione prius repugnabant, animus inquam & corpus, tum maximè inter ſe cōſentient, uitamq; nimium concordem agent, ut ambo æquè ſint immortalia, æquè bona, æquè fœliciā, æquè uoluptatibus plena. Hoc ipſum Paulus apoſtolus indicare uolens, facie dixit reuelata gloriā Domini nos ſpeculaturos. Ergo qui hac in fœlicitate fuerint conſtituti: uel oculis etiam corporeis Deum intuebuntur: non quidem illis priſtina imbecillitate & caligine cæcutientibus, ſed diuino lumine illuſtratis. Quorum idem Paulus electionis uas faciens mētionem, illuminatos inquit oculos cordis noſtri nos habituros. Quemadmodū igitur corpora ſæpe animo ſolum uidemus, ut Heliſeo olim prophetæ, qui puerum Gietzium uidit abſentem, contigiſſe legimus: ita corpus naturā animi iam adeptum, Deum, qui ſpiritus eſt, præſentem intuebitur. Quod quamuis naturæ noſtræ imbecillitas per ſe ferre non ualeat,

tamē Deus lumine ſuo nos illuſtrabit, ut in ipſa car-
ne à facie ad faciem illum uideamus. Quin etiam o-
mnes cogitationes noſtræ inuicem apertæ alijs e-
runt, ut nulla inuidia mutuam beatorū charitatem
amoremq́; feruentiſſimum tollat: ſed ut ij concordi
bus deuinctiſſimisq́; ſint animis. Nam ſi uel ij etiam
homines, qui mutuò ſeſe diligunt, cogitata omnia
ſibi aperiunt, nihilq́; uel alter cogitat, quod non al-
teri commune fiat: quid in illa ſumma uoluntatum
animorumq́; conſenſione fiet? ubi omnes idem ſen-
tiant, idem bonum ament, eâdem contemplationis
uoluptate afficiantur, eiuſdem Dei amore flagrent,
eundem uno ore collaudent? At num eorum uolu-
ptatē aliquis uel præſens dolor imminuet, uel com
miſsi flagitij recordatio eleuabit? Nullo ſanè mo-
dò. Præſens enim eſt ea ſemper uoluptas, nunquam
malo aliquo intermittitur, nullo ſolicita eſt metu,
nulla criminum memoria deletur. Nam quos rectè
factorum præmium beatos reddidit ſempiterna ſe-
quitur criminum ac uitiorum obliuio. Quod idem
Dauid prædicans: Beati, inquit, quorum remiſſæ
ſunt iniquitates, et quorum tecta ſunt peccata. Nul
la enim beatis malorum recordatio uenit in men-
tem, non ſceleris alicuius conſcientia eos accuſat,
non pœnæ timor angit, non curæ, non labor, non fa-
mes, non ſitis, non frigus, non æſtus, non denique
mali aliqua ſpecies. Quid hac uita beatius? quid iu-
cundius?

cundius? quid præſtabilius? Hanc ergo nos ueram *fœlicitatem eſſe, non qualem Philoſophi retulere, ſtatuimus: hucq́; noſtras actiones omnes, uotaq́; dirigimus. Itaq; quoniam in* Deo *bona uniuerſa poni mus, imò uerum ipſum bonum eum eſſe dicimus, nullum etiã tam præſtans excellensq́; bonũ aut ani mo aut corpori euenire poſſe affirmamus, quàm ſi illius intuitu perfruamur, in quo tota bonorum affluentia & ſumma eſt. Quòd autem per ſe animus ſatis ſit cõtentus, dum auctori ſuo ſemper inhæret, indeq́; omnem uoluptatem capiat, ne probatione quidem oſtendere opus eſt, cum* Philoſophi *naturâ ſolum duce hoc agnouerint: nemoq́; dubitet, quin in rei perfectiſſimæ communione animum conſiſtere ſit optimum. Quòd etiam corpus animo connexum, ſimileq́; ipſi factum, particeps eiuſdem fœlicitatis futurum ſit,* Chriſtus *nos docuit: & quòd, cum in cœlum animo corporeq́; ſublatus eſt, eodẽ nobis modo illuc emigrandum, exemplo ſuo declarauit: & quòd idem multis in locis ſacrarum literarum confirmat. ut apud* Lucam: Non peribit, *inquit, capillus de capite ueſtro: & apud* Ioannem, *Abſterget* Deus *omnem lachrymam ab oculis iuſtorum, & mors ultrà non erit, neq; luctus, neque clamor, neq; dolor: quia prima abierunt.* Etenim *pro terreno illo, fragiliq́; corpore, ſpiritale & æternum capiemus: pro graui ſubtile ac tenue, cun-*

ctáq; penetrans: pro caliginoſo, & obſcuro, ſplendidiſsimum, planeq; æthereum. Quod idẽ in Euangelio Chriſtus pollicitus: Fulgebunt, inquit, iuſti ſicut ſol in regno patris mei. Has omnes corporis beati dotes exemplo ſuo nobis futuras eſſe, Chriſtus è mortuis excitatus oſtẽdit: ut quemadmodum pro terreno mortali, grauiq; corpore, cœleſte, immortale, agile, & ſplẽdidũ accepit: ſic nos eius beatitudinis futuri participes, ſimile obtineamus. Atq; hæc ſanè corporis bona, quæ ſuo illi felici tribuebat Ariſtoteles, multo nos ueriora, firmioraq; habebimus, et per fidẽ habituros ſperamus. Hactenus igitur qualis ſit uera fœlicitas, nõ ex noſtra, ſed ex eius qui eſt illam cõceſſurus, deſcriptione, quãtum huius rei tractatio permittebat, ſit dictũ. Nec enim exactè hac de re diſputare, ad morũ philoſophiam ſpectat. Supereſt ut de actionibus, quæ nos ad eam fœlicitatem deducunt, diſſeramus.

Animi diuiſio, & origo affectuum, uitiorum ac uirtutum.

Cap. 7.

QVoniam ergo poſt fœlicitatis tractionem, de actionibus ad ipſam pertinẽtibus ſecundo loco dicere oportet, actioneſq; omnes ab animo proficiſcuntur: repetito altius initio, de animi diuiſione, uiribuſq; eiuſdẽ, aliquid dicamus, ut uirtutum uitiorumq; origo melius explicetur. Nec tamen

men longam de illo tractationem hic contexemus, ne noſtros fines egredi, & in Phyſicorum regionē ingredi uideamur. Quare ab ipſa corporis & animi connexione exordium ſumamus. Humanū animum corpori alligatum duas partes ſortiri, Platonici & Peripatetici affirmant: quarum una à corpore diuerſa eſt, ut mens: altera illi cōiuncta, ut appetitoria, & iraſcibilis, ut ſic loquar. Hæ partes ab una quadā animi natura naſcūtur, ut à ſole radij multi, nec tamen duas animas efficiunt: quāuis Platonem id, & Ariſtotelem ſenſiſſe, referat Plutarchus, & Galenus. Sed ut nos huius rei quæſtionem miſſam faciamus, quando iam inter pleroſq; conſtat, unam eſſe hominis animam, eamq; multis ac uarijs uiribus præditam, ad propoſitam redeamus diuiſionem. Earum itaq; partium duarū, quæ à corpore omnino eſt diuerſa, rationis particeps à Platone Ariſtoteleq; dicitur: quæ uerò corpori annexa, rationis expers. Quæ tamē cū rationi obtemperat, eiuſq; ſequitur cōſilium, rationabilis quodammodo nominatur. Ex his ipſis actiones omnes naſcuntur: quoniam illa particeps rationis, uim ſolū dijudicandi, cernendiq; ueri habet: altera uerò expers, quaſi eius miniſtra, res dijudicatas à ratione, in actionē deducit. Ita fit, ut ipſarum hominis facultatū aliæ ſint animi ſeparati, ut intelligere, ratiocinari: aliæ animi corpori adhærentis, hoc eſt, totius

compoſiti animalis, ut ſentire, moueri. Cum autem ſeparatum animum dicimus, minimè quidem intelligas, illum à corpore diſſolui, ita ut hoc intereat: ſed quòd ſæpe animus ueluti à corporis ſocietate diſcedens, nonnulla ſecum cogitet, & conſideret, quæ animal ipſum capere non poſſet. Cum ergo animus unus & idem ſit, qui corpori uitam impertit: ipſe tamen quid agendum, quid'ue fugiendum ſit, in hac uita totius animantis iudicat, animal autem mouetur, & ad agendum duntaxat præſtò eſt. Vnde à mēte uidemus uirtutes alias proficiſci, alias à toto ipſo compoſito. Atq; illæ quidem, quoniam in intelligentiam ſolum cadunt, nulloq; corporis adiumento indigent, διανοητικαὶ, id eſt, intelligibiles. hæ uerò, quia propriæ animantis ſunt, ἠθικαὶ, id eſt, morales nominantur. Hæc igitur eſt communis omnium uirtutum ac uitiorum origo, & ab his animi ſedibus illa naſcuntur. Duæ enim naturales notiones inſitæ nobis ſunt: una ueri dignoſcendi, qua ſine doctore aliquo ueritati continuò aſſentimur, & à falſis diſsidemus: altera diſcernendi boni, quam cōſcientiam appellare poſſumus, qua quid bonum malúmue ſit, dijudicamus, quam ipſam Apoſtolus ad Romanos *ſcribens, legem & conſcientiam appellat, cum ait: Qui ſine lege ſunt, ſine lege peribunt, teſtimoniū illis perhibente conſcientia. Itemq; Socrates in Platonis Menone, recordatio-*

cordationem eam nominat: intelligēs nimirum ex Pythagoræ ſententia, notiones has uirtutum ac ueritatis, ex priori uita, quam ante corpus animæ habuere, inſculptas ijs eſſe. Igitur ut nos rem diſtinctius explicemus uirtutes quidem omnes ſic ex animo naſci putamus, ut aliæ miniſterio corporis minus utantur, ut intelligibiles: aliæ uerò magis, & in aliquam externam actionem proferantur, ut morales. Vtcunq; tamen id fiat, una eſt, & eadem uirtutum ac uitiorum ratio, quod ad origine̅ ſpectat: niſi quòd in finis et actionis obiectionis obiecto uariantur. Tria enim in homine, quaſi prima initia, ab Ariſtotele, alijsq́; ponu̅tur, ex quibus omnis uirtutum uitiorumq; ratio pendet: facultas, affectus, & habitus: quibus nos quartam actionem adhibere poſſumus. Hæc eadem ſi ad finem bonum referantur, uirtutes: ſi ad malum, uitia procreabunt. Nam facultas nihil eſt aliud, quàm animi promptitudo quædam ad agendum. Affectus, commotio facultatis illius eſt: actio, informatio illius commotionis. Habitus demum, impreſſa quædam animo qualitas, ex frequenti agendi uſu comparata. Itaq; facultas, quaſi prima materies eſt: affectus, ut motus: actio, uelut informatio: habitus, ut forma perfectè iam inducta. Tria hæc initia in animali toto collocantur, & natura ſua nec bona, nec mala ſunt: quartum uerò ſolum, id eſt, actio externum eſt, &

fini ſuo ſemper eſt ſimile. Siquidem natura prius uirtutis ac uitij capaces ſumus, tum ad ipſum commouemur et afficimur: affecti uerò aliquid agimus, agendo denique ſæpe habitum adipiſcimur, tuncq; boni aut mali nominamur, prout habitus agendi fuerit. Præterea cum initia hæc totius animantis ſint propria, nec alterius tãtum partis: uirtutumq; ipſarum aliæ in mente potiſsimum, aliæ in reliquis animi facultatibus collocentur: intelligibiles uirtutes duobus ex initijs duntaxat enaſcentur, facultate nimirum, atque habitu: morales autem non modò ex tribus ſuperioribus coniunctis, uerumetiam ex actione. Nam ad uirtutes intelligibiles comparandas ſatis eſt facultas & habitus: affectus uerò et actio ad id minimè requiruntur, cum mens omni affectu uacet, actioq; illius ab externa hac diuerſa, in ſola agitatione ſui poſita ſit. At in moralibus, quæ ad externas actiones progrediuntur, contraria ratio ſeruatur. Nec enim ſatis eſt habere facultatem agendi, niſi ea aliquo concitetur affectu: nec ex affectu etiam oriri aliquid poteſt, niſi ad actionem externam ille proferatur: quæ frequens ſi ſit, habitum conſtituet. Hinc conſtat, quæ ſit omnium humanarum actionum, tam bonarum quàm malarum, origo. Quæ cum ita ſint, ad uirtutum quidem ac uitiorum tractationem, naturalem horum principiorum ordinem ſequamur: & quanquam

de facultate primo loco dici debere uideatur, id nulla explicatione indiget: cum id iam perſpicuum ſit, eam ipſam ſemen eſſe quoddam, ac notionem boni, uel mali, nobis inſitam à natura. Quo nomine de affectibus diſſerendum in primis eſt, quando ij ſunt uitiorum ac uirtutum ſubiectum: in quibus tamen explicandis id ſolum adducemus, quod ad morum diſciplinam pertineat, non eorum naturales cauſas inueſtigabimus.

Affectuum origo. Cap. 8.

Eſſe aliquos nobis inſitos affectus, quibus cõmoueamur frequenter uel ad bonum, uel ad malum, dubium nõ eſt: quando ad iram alios, quoſdam ad cupiditatem, alios ad libidinem, aliaq́; uitia procliues eſſe uidemus: nemoq́; tam ſedato animo eſt, ut nõ aliquam affectionis commotionem præſentiat. Stoici tamẽ nullos ineſſe nobis affectus aſſeruere, ſed eoſdẽ opinione quadam & animi mollicie cõſtare, ideoq́; in hominem ſapientẽ non cadere. Contrà tamen Platonici cum Peripateticis, ingenitos eſſe nobis illos affirmant: negantq́; poni in opinione, aut poteſtate noſtra, cum naturales ſint: naturaliaq́; nemo planè tollere poſsit, quamuis ex parte queat cohibere. Quorum profectò ſententia uerior eſſe perſpicitur, quandoquidem affectus ad animum excitandum nonnunquam neceſſarij ſint: & qui eos putant extirpandos, uirtutes ſimul tollant,

lant, ſit neceſſe. Etenim ſi uitioſos affectus eſſe fatentur Stoici, idcircoq; eos ab animo eximunt, uitioſæ quoque erunt uirtutes multæ, quæ affectibus perficiuntur, quæq; illis ut materia ſubiecta utuntur. Quòd ridiculum & abſurdum cum ſit, errare illos concluditur, quãdo naturæ uires excidere, & amputare illo modo nituntur. Et ne rem longè clariſſimam pluribus confirmem, hinc itidem perſpicuum eſt, Senecam in epiſtolis ad Lucilium, ac Ciceronem in Tuſculanis, errare, dum affectus tollere uolunt: noſq; melius cum Academicis & Peripateticis ſentire, qui non eos modò tueamur, ſed etiã naturales eſſe contendamus. His ita ſtatutis ad affectuum originem explicandam pergamus, quando ex eorundem cognatione tota uirtutum ac uitiorũ ratio dimanat. Quid ſit affectus, ueteres Peripatetici non definiere, nec eius extat apud Ariſtotelem definitio. Plato tamen eum definit, motum animi, ſine ratione boni aut mali alicuius cauſa. Illum Zeno auerſum à ratione recta commotionem contra naturam animi, appellat. Cicero appetitum uehementiorem: alij demum aliter deſcribunt. Nos ergo affectum, quem Græci πάθος nominant, eſſe dicimus, commotionem animi turbidam mentis, tranquillitatem cientem. Ex quo datur intelligi, aliud eſſe animi propenſionẽ ad affectus, aliud illius commotionem. Nam animi quidem propenſio naturalis eſt,

lis eſt, & per ſe ipſa tranquilla: commotio autem eiuſdem perturbatio propriè uocatur, quoniam illum perturbet, & afficiat. Vt in homine iracundo, iracũdia naturalis eſt facultas, quæ pronũ ad iram eum efficit: ira uerò, quæ illius facultatis eſt motus, uel uitij eſt, uel uirtutis radix. De hoc igitur ſecundo genere affectionis, quæ in motione poſita eſt, dicere, ad philoſophiam hanc morum attinet: de illo autem priori, non item. Sed ut nos ab ipſa affectuũ origine tractationẽ deducamus, primò quæ ſit affectuum ſedes explicetur: tum, quibus ex cauſis illæ naſcantur: poſtremò, qua ratione concitentur. Duplicem eſſe animi partem, ſuprà retulimus; unam ſuapte natura quietam, & conſtantem, ut rationis uim: alteram inconſtantem, & affectibus turbidã, ut partem animi ratione carentem. Atque harum quidẽ altera tranquilla eſſe dicitur, quòd mens nullo perturbetur affectu: altera uerò turbida, quòd frequẽter commoueatur. Qua in parte origo perturbationũ omnium, ac fons collocatur. Siquidem dum rationis ac mentis iudicium amplectimur, nunquam perturbabimur: cum uerò corporis impetus ſequimur, affectuum quaſi unda corripimur. Iam uerò, cum hæc ſit affectus radix in hominibus propter connexionẽ animi & corporis, eaq; niſi cum cietur, ſedata & trãquilla ſit, tres omnino affectionum excitandarum primæ cauſæ tradũtur, quibus

illa

illa eadem facultas naturalis cõmouetur: uidelicet ignoratio, prauũ uiuendi genus, corporis temperatio. Quòd igitur ignoratione homines ſæpe cõmoueantur, perſpicuum eſt: ut quando pro ueris falſa capimus, eaq; perpugnaciter defendimus. Quòd etiã uitæ mala inſtitutio nõ minus homines afficiat, argumento eſſe poſſunt libidinoſi & guloſi, qui ad ea uitia citius et frequẽtius incitãtur, quàm alij. Poſtremò corporis tẽperies ad affectus excitãdos plurimũ efficit: cum ea de cauſa alij ad iram procliues ſint, alij ad timorem, alij ad libidinẽ, alijq; ad alios affectus. Igitur cũ hæ ſint affectuũ cauſæ potiſſimæ, illi tamen certa ratione quadam, ac modo cõcitantur, ſi animi uiriũ ordinẽ ſpectemus. Nam dum animi pars expers rationis, quam affectuũ fontem appellauimus, ratione neglecta, mouetur, erroreq; labitur, incidat in affectũ aliquẽ neceſſe eſt, ſiquidem rationis ueræ munere fungi uult. quod cũ præſtare non poſſit, concitatur, animumq; uniuerſum cõturbat. Hinc fit, ut affectuũ uariæ formæ gignantur: nõ quòd eorum origo, motionisq; modus in ſingulis uarietur, ſed quia finis eſt diuerſus. Cum enim duplex ſit finis, unus quidem bonus, alter uerò malus, duplices quoq; ſunt affectus: alteri ex opinione boni profecti, ut amor, uoluptas: alteri ex opinione mali, ut metus, odiũ. Quocirca propoſito bono, uel eius forma ſaltẽ aliqua, imaginatio, quã Græci φαν-

τασίαν

ταοδαν appellant, ad id protinus impellitur, nõ audito ueræ rationis cõſilio. Quo facto ſi leuis quædã aura boni quaſi afflet, illud continuò auet imaginatio, indeq; amor & cupiditas oritur. Si uerò bonum illud ſit præſens, uoluptas gignitur: ſi futurũ, deſiderium. Eadem quoq; mali propoſiti ratio eſt. nã eo obiecto, ſtatim animus offenditur: quod præſens ſi ſit, odium fit: ſi abſens, timor. Quibus ex rebus duo quaſi ſumma capita affectionum eſſe intelligitur: unum ex opinione boni profectũ, alterum ex opinione mali. Propoſita ergo affectionum omnium origine, reſtat, ut earum genera ſubiungantur antequam ſingulas formas enumeremus.

Affectuum diuiſio, & partes.

Caput 9.

DVo ſunt omnium affectuũ genera, ut Plato & Ariſtoteles putant: unum, quod ex opinione boni oritur, hoc eſt, uoluptas: alterum, quod ex opinione mali, id eſt, dolor. Hæc eadem ſumma eſſe genera, quæ uarias ſub ſe formas complectantur, plerią; ſtatuunt. Nam ad uoluptatem reducunt amorem, cupiditatẽ, fiduciam, ſpem, alioſq; huiuſmodi affectus, qui boni ſpeciem habent: ad dolorẽ, odium, inuidiam, contumeliam, æmulationem, ac reliquos qui uel mali ſunt, uel tales uidetur. Cõtrà uerò Stoici quatuor hæc capita proponunt, uoluptatem, libidinem, dolorẽ, metum. Atq; horũ duo

illa

illa ex duobus opinatis bonis, hæc ex totidem opinatis malis oriri cenſent. Nos autem, *ut rem totam enodatius exponamus, affectuum nunc genera, formasq́; ex animi facultatibus eliciamus.* Itaque *cum duplicẽ animi uim eſſe ſæpe docuerimus, unam rationis participem, alteram expertem: hæc rurſus duas in partes diſtribuitur, quarum utraq́; in appetitione quadam à ratione diuerſa ponitur.* Nam al*tera* θυμοειδὴς, *id eſt, iraſcibilis: altera* ἐπιθυμητικὴ, *id eſt, appetitoria nominatur: quòd illa nos in iram ac cæteros turbulentos motus, hæc in auiditatem cupiditatesq́; omnes rapiat.* Ex duabus *his facultatibus affectus omnes naſcuntur, ſinguliq́; earũ alterutri tribuuntur: ut ab appetitoria naſcuntur hi tres, amor, deſiderium, gaudium: qui boni opinionem ſequuntur: quibus tres hi rurſus aduerſantur, odium, offenſio, triſticia: quoniam ex opinione mali fiunt.* Ad *iraſcibilem hi pertinet, ſpes, deſperatio, timor, audacia, ira.* In *his ergo affectuum formis in primis duo fines ſpectandi ſunt, et bonus & malus: itemq́; duo tempora, futurum atque inſtans: quoniam pro ratione iſtorum illæ ipſæ uariantur.* Sed *antè tamen quàm affectuum ſingulas partes enumerem, quæſtio illa difficilis & obſcura, diluenda breuiter eſt, nunquid affectus omnis ſit uoluntarius, an inuitis nobis excitetur? nam de actionibus quidem hominis, nemo eſt qui dubitet.*

Quo

Quo nomine quid ſit uoluntarium & inuitum, in primis ſtatuamus: tum, quibus in rebus idem decernatur: poſtremò, qua ratione in affectuum motu conſideretur. Siquidem de naturali perturbationum facultate hîc minimè diſputamus, quam contra Stoicos ſuperius non uoluntate, ſed natura conſtare, defendimus: ſed de motu earundem ipſarum.

Nunquid affectuum motus uoluntarij ſint. Cap. 10.

VOluntatem definiunt omnes, liberum agendi principiū, hominis animo inſitum. ea enim nulli ſubiecta eſt, præterquàm Deo: *reliquæ uerò partes illi ſubijciuntur. Ab hac ipſa id omne uoluntarium dicitur: cuius initium in ipſo uolente ſcienteq́; eſt.* Neceſſe *eſt enim: ut ſit aliquid uoluntarium, non id modò nos uelle, ſed etiam prius cognoſcere. Siquidem intelligentia rem ante comprehendimus, quàm eandem uelimus.* Hoc *ſtatuto, reſtat inquirendū, quibus in rebus illa duo ſint.* Tria *ſunt rerum genera, in quibus uoluntarium & inuitum ſpectari poteſt:* Naturale, *ſeu neceſſarium (idem enim eſſe nunc ſtatuimus) fortuitum, & liberum.* Naturale *quidem id eſt, quod ſemper eodem modo fit: ut ignem urere, aquam refrigerare.* Fortuitum, *quod ſine ratione temerè contingit: ut emiſſo iaculo quenquam prætereuntem ferire.* Liberū *deniq́;*

quod neq; neceſſarium eſt, nec fortuitum, ſed in noſtra poteſtate poſitum. Ex his omnibus hominis uoluntas in liberis duntaxat actionibus uerſatur, quoniam ijs poteſt, ut uoluerit, uti. Contrà uerò inuitum tū in neceſſarijs, tum in fortuitis conſiſtit. nā quæcunq; naturalia ſunt, ut cibum conquerere, ali, uegetariq; corpus, inuitis nobis fiunt: fortuita etiā, ut terram excolendo aurum inuenire, nō minus inuita ſunt, quàm naturalia. Quo fit ut in ijs ſolum, quæ liberæ & indifferentes ſunt, uoluntariū cernatur. Hinc iam perſpicuum eſt, facultates, & affectū um quaſi radices naturales ſolū eſſe: earū uerò motus et perturbationes, in noſtra poteſtate poni. uelut iracundū eſſe, aut libidinoſum: hoc eſt, procliuē ad irā & libidinē, uoluntarium nō eſt, ſed naturale: itemq; leuiter initio cōmoueri, et ueluti primo affectus tactū incitari. id quod re magis quàm uerbis explicatur, inuitum eſt etiam. At cum motus ille ſit diuturnior, ac maior, id ſitum in nobis eſt. Hoc in Theodoſio Cæſare, ciue noſtro, quem natura fuiſſe admodum iracundum legimus, exempli gratia intelligetur. Naturalis quidem eius ad iram procliuitas, ac nonnunquam prima illa, leuiſq; commotio ſita eſſe in ipſius poteſtate non poterant: cum autem eadem acrius incitabatur, diutiuſq; durabat, quia poterat ratione cohiberi, uoluntaria fuit. Sed de his quidem hactenus, ad quæſtionem antea propoſitam.

poſitam.poſtea enim de inuito uoluntarioq; latius diſſeremus,cum ad uirtutis tractationem fuerit per uentum.

ETHICES PHILOSOPHIAE COMpendij, authore Sebaſtiano Foxio Morzillo Hiſpalenſi, Liber Secundus.

De amore. Cap. I.

NVnc ut de ſingulis affectuum formis ordine propoſito tandē diſſeramus,ab amore prius auſpicemur:quoniam is prima commotio animi eſt, quæ boni opinione excitata,ab appetitoria facultate proficiſcitur. Amorem aūt cum multis definire poſſumus,propenſionem uoluntatis ad illud quod bonum eſſe putatur.Siquidem obiecto bono , uel eius aliqua forma, id ſtatim affectu mota uoluntas amplectitur,atq; amat.Quare proprium amoris eſt,ut ex boni opinione naſcatur,ad idemq; ſponte feratur,cui etiam coniungi ſemper uult.Huic præterea plurimum inter omnes Plato tribuit,adeò ut à Dicæarcho hoc nomine ſit accuſatus.ipſumq; fecit in Phædro tripartitum: unum quidem honeſtum ac generoſum

qui nudam animi uirtutem tantum amat: alterum inhoneſtum, qui ſolam corporis uoluptatem ſequitur, belluiſq; eſt cum hominibus communis: ac tertium quendam medium, qui tum animum, tum ipſum corpus amplectitur. Harum trium amoris formarum magna eſt uis, præſertim in calidioris naturæ hominibus, qui reliquis amant uehemẽtius. Vnde igni, ſagittis, flammæq; amor à poetis comparatur, quòd uehementibus curis homines inſtiget, & inflammet. Vt eſt illud Didonis apud Verg.

Eſt mollis flamma medullas.

Interea, & tacito uiuit ſub pectore uulnus. Ecce amoris uis à poeta expreſſa, quam non animo tantum lectores contemplari, quàm in ſe quiſq; experimento poteſt cognoſcere. Porrò cum honeſtus amor uirtus, & non affectio, appellari potius debere uideatur, à nobis eſt hoc loco omittẽdus: quàm do de illo ſimul, cum de amicitia dixerimus, differendum ſit, ad reliquas amoris duas formas redeamus, quæ in affectu quodam poſito medicinæ indigent. Amor igitur turpis, ac medius, de quibus eſt à nobis tractandum, cum non uerum bonum ſequantur, ſed fictum, hoc eſt, corporis pulchritudinem, cui expetunt coniungi, affectionum omnium animi acerrimi ſunt, adeò ut amantem ſæpe cõficiant, & à ſeipſo alienent. Nonnunquam enim illum ſui obliuiſci, & in amatore ſemper eſſe cogunt, dementemq;

temq; faciunt. Cuius quidem amoris uim magna ex parte auxerunt poetæ, qui puerum formoſum, ac cæcum, aliſq; præditum eum finxere: atq; in numerum deorum referre non dubitarunt, quoniam uidelicet eiuſmodi affectu homines perturbati, pulchritudinem cæci, ac rationis iudicio priuati uehementer ament, & quaſi furore quodam incitētur. Itaque amor omnis, tam turpis, quàm honeſtus, ac medius, ſuapte natura uehemens eſt, naſciturq; ex aſpectu, cum obiecta re aliqua, quæ homini placeat, eidem uoluntas acquieſcit, & cupit, præſertim ſi ſimilitudo aliqua intercedat, quæ plerunque ſolet amorem conciliare. Ideo initio leuis amor eſt, placideq; animum delinit: poſtea tamen altius inſidet, tuncq; uix magno labore extirpatur. Hinc quoſdam amore immoderato flagrantes, in inſaniam uſq; adactos fuiſſe legimus: alios miſerrimè perijſſe, non paucos turpiſsima ſcelera commiſiſſe. Plena eſt uita hominum huiuſmodi exemplis, plenæq; hiſtoriæ, atq; ipſa poetarum ſcripta: quæ nihil ferè aliud auribus noſtris inſonant, quàm amoris uim magnam, quam in multis deſcribunt: ut in Didone, quæ Aeneæ amore capta, ſibi manum attulit: in Medea, quæ patrem Aeetam prodidit, fratremq; ſuum dilaniauit: & in alijs, quorum amores Tragœdiæ concelebrant. Ex quo intelligitur, quanta in amore ſint mala, cum ad hæc ille homi-

nes impellat. Quare omnia eleganter Plautus ſic expreßit in Mercatore:

Nam amorem hæc cuncta uitia ſectari ſolent,
Cura, ægritudo, nimiaq; elegantia.
Hoc non illum modò qui amat, ſed quenq; attigit,
Magno atq; ſolido multat infortunio.
Nec pol profectò quiſquam ſine grandi malo,
Præterquàm res patitur, ſtudet elegantiæ.

Nec ſola hæc ſecum incommoda inhoneſtus amor affert, ſed audi quæ deinceps addat Poeta:

Sed amori accedunt ultra hæc, quæ diximus,
Inſomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,
Ineptia, ſtulticiaq; adeò, & temeritas,
Incogitantia, excors modeſtia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia:
Inhæret etiam auiditas, deſidia, iniuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium.

Non potuit amoris uis melius explicari. Nam quemadmodum ſine ratione præſentia rei ſolum uel pulchræ, uel ſimilis, uel eius demum quæ ſoleat ad ſui cupiditatem allicere, afficimur, affectióque hæc expers rationis eſt: ſic eius ui multa homines efficiunt, quæ ſedato animo mirarentur. Atque hæc ſunt, quæ in amore & turpi & medio reperiũtur. nã caſtus ille, & honeſtus, quia naſcitur ex rationis rectæ iudicio, ad honeſta bonaq; homines extollit. Quam ob cauſam fuiſſe pugnam inter caſtũ & in-

& inhoneſtum amorem aliqui finxere, ut honeſtũ turpi antecellere oſtenderent. Quando igitur magnã amoris uim breuiter depinximus, ſequitur, ut remedium illi conueniens adhibeatur: quandoquidem inſtitutum noſtrum eſt, non affectuũ rationẽ duntaxat exponere, quæ ad Phyſicos fortaſſe magis ſpectat: ſed eorũ medicinam oſtendere. id quod Ethices munus eſt. Huius itaq; amoris affectioni adhibenda eſt talis curatio, ut quoniã initio ille leuis eſt, prius extinguatur, quàm latius ſerpat per animum, nequeatq; facilè tũc euelli. Nam & hoc amorum magiſter Ouidius in Arte ſua docuit:

Principijs obſta, ſerò medicina paratur,
 Cum mala per longas inualuere moras.

Siquidem exigua admodũ ſcintilla, magna ſæpe incendia excitat: & neglectus principiò morbus, acrius ingraueſcere ſolet. Quocirca bene poeta ĩdem monet:

Dum nouus eſt, cœpto potius pugnemus amori:
 Flamma recens parua ſparſa reſedit aqua.

Quod ſi autem adhuc animo amor idem inhæreat, auocandus eſt homo ſic affectus, ab eo quod amat: perſuaſione aliqua dimoueri (ſunt enim quidam, quos uel prohibita res magis afficit, quosq; uitia uel agnita delectant) ad alia ſtudia eſt abducendus: uel locus etiam illi mutandus, ut diuerſis curis diſtractus, priorem curam negligat. Itaq; ſi ne tum

quidem finem amãdi is fecerit, ſed pertinax adhuc ſit: amore alio incipiat amare, ut quaſi clauus clauo pellatur, & ut ſubita mutatio prioris affectionis memoriam obliteret. Ante omnia deniq;, quàm ſit à ratione auerſum, ac furori ſimile, ſic amare: proponendum ob oculos amatori eſt, ut falſa ſe boni opinione deceptũ intelligat, cum boni nihil, mali autem plurimum in amore ſit. Cuius generis ſunt illa apud Terentium,

Iniuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum.

Quæ quidem cum rationi maximè contraria ſint, eleganter poeta idem refert:

Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

Cum ergo ſumma hæc mentis inconſtantia, nec bonum eſſe amorem illum uehemẽtem indicet, & prauitate illum mollicieq; animi ortum declaret: magno eſſe amatori commodo poterit, ſi conceptã opinionem huiuſmodi conſideratione deponat. Sed hæc quidem hactenus de amore: nunc ad alios affectus pergamus.

De cu-

De cupiditate, ſeu deſiderio.
Caput 2.

Ex amore naſcitur cupiditas, ſiue deſideriũ. Nam ſi quod amatur, ſit abſens, auiditas fit eius, cum animus illud expetit, ac deſiderat. Eſt autem deſiderium, affectio quædã ad bonum futurum tendens. Idem etiam in eum uſum eſt à Deo nobis conceſſum, ut quod ſit commodum, expetamus, ſequamurq́; adepti, ac retineamus. Ad uitam enim tuendam neceſſaria eſt rerum quarundam cupiditas: ut cibi, potionis, ueſtitus, cæterorumq́; omniũ, ſine quibus uiuere non poſſumus. Cupiditatē hanc, cum per ſe naturalis ſit, à rebus neceſſarijs ad luxũ & libidinem nos traduximus: cum iam opes, honores, dignitates, huiuſmodiq́; alia non tam inutilia, quàm mala ſæpe, optamus. Quo fit, ut uariæ uitiorum formæ ex hoc uno affectu naſcãtur, prout res fuerit expetita. Siquidē ex pecuniæ cupiditate oritur auaritia, qua nullum maius, aut execrabilius uitium eſt: ex honore ambitio, ex Venere libido, ex guſtu gula, ex alijs deniq; aliæ innumerabiles. Itaq; natura ſua deſiderium nec bonum eſt, nec malum: ſed illud homines falſa utilitatis opinione corrumpunt, dum ea in rem ſuam fore putant quæ tum incõmoda, tum etiam pernicioſa ſint. Quamobrem nulla eſt huius affectus curandi ratio commodior, quàm ſi res honeſtas, uſibusq́; uitæ neceſſarias expetamus.

petamus: reliquas, ut ad luxum pertinentes, fugiamus. Cupiditates enim, ut ait M. T. inſatiabiles ſunt, ac non modò ſingulos homines, ſed familias etiam uniuerſas euertunt, totamq; ſæpe rempublicã labefactant. Hinc odia, diſsidia, contentiones, ſimultates, inimicitiæ, belláq; oriuntur. Nam ſi naturæ finibus contenti homines eſſent, nec plura uellent expetere, tranquillam iuſtamq; uitam tranſigerent. At quoniam immoderata cupiditate iactantur, uitia quoq; innumerabilia inde oriri oportet. Nam quid illa imperij propagandi cupiditas Nino regi Aſsyriorum profuit, cũ hæreditario regno contentus, domi uiuere tranquillè potuiſſet? Quid eadẽ hodie reges ac principes uniuerſos inſtigat, et ad tyrannidẽ dominationemq; excitat, ſi intra ſuos quiſq; fines cõtinere, neminiq; iniuriã facere uelit? Quid homines priuatos ad ambitionẽ, comparandasq; opes uel iniuſtè incitat? cum ſuo uiuendi genere cõtenti, cõmodius uixiſſent. Ergo qui res minimè neceſſarias magna ſolicitudine quærit, quòd earum utilitatis opinione ducatur, in magna cadat incõmoda, uitiaq; turpia neceſſe eſt. Multos enim cũpido dominandi confecit, ut Iulium Cæſarem: alios pecuniarum amor, ut Craſſum, unà cum toto exercitu à Parthis deletum: quoſdam ambitio, ut C. et Tib. Gracchos: alios ſolicitudo in rebus inutilibus. adeò ut meritò Perſius exclamarit.

O cu-

O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane?

Nec ab re Plato in Timæo, cupiditatem belluæ cuidam uariæ & multiplici cõparauit, eamq; uelut omnium animi partium abiectiſſimam in iecur amandauit: quòd nulla certè affectiones turpiores excitet, nulla ſit magis à ratione aliena, belluisq; efferatis ſimilior. Et ne plura in hanc rem addam, hoc ſaltem retuliſſe ſatis ſit, tum ad huius affectionis remedium, tum ad illam dignoſcendam: quæcunque natura nobis neceſſaria non ſint, ea homines non ad ueram utilitatem requirere, ſed ab libidinem & intemperantiam. Cuius rei exempla illos nobis proponemus, qui uitæ tenuitate quadam contenti, magnorum principum cupiditates contempſerunt: ut Diogenem, Anacharſim, Ariſtidem: *è* Romanis *uerò, Curium Dentatum, Scipionem Naſicam, aliosq; multos bonos ac moderatos uiros. Quamobrem ut in pauca rem conferam, certiſſima deſiderij immoderati curatio eſt, ut naturæ neceſſitatem ſpectemus, non hominum luxui deditorum exẽpla: putemusq; nobis & ad uiuendũ, & ad perſonæ ac dignitatis ornatum pauca eſſe optanda, reliqua ut uana & inutilia reijcienda. Quibus ſi ut carere facile poſſumus, ita temperare aſſueſcamus, moderatè prudenterq; uiuemus. Sed de his latius, dum ad temperantiæ explicationem fuerit peruentum.*

De

De gaudio. Cap. 3.

CVm eo bono, quod deſideramus, tandem potimur, idemq́; præſens eſt, ſi animum ſuauitate permulceat, gaudium, ſeu lęticia gignitur. Eſt autem gaudium, ut Cicero in quarto Tuſculanarũ libro definit, opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe uideatur. Idem uerò naſcitur ex cordis dilatatione, quæ animum iucunditate perfundit, propter alicuius boni præſentem fruitionẽ, quæ ſic illum afficit, ut multarum ſit affectionum radix. Nam ſi leuis ſit delectatio, hilaritas propriè dicitur: quam riſus, geſtus, aliaq́; ſigna lęticiæ conſequuntur. Quod ſi uerò eadem ex recto iudicio boni præſentis, uel futuri, præteritiue naſcatur, moderataq́; ſit, gaudium appellatur. Quod idem ſi magis confirmetur, & bono congruenti acquieſcat, uoluptas efficietur. Itaq; unum eſt commune quaſi genus iucundarum affectionum, quod uarias ſub ſe formas complectitur, lęticia: cui hæ omnes formæ ſubijciuntur, Hilaritas, gaudium, uoluptas, delectatio, recreatio. Atq; hilaritas quidem eſt, animi leuis commotio, ex opinione boni præſentis. Gaudium, opinio firma de bono præſenti, quæ animum delinit ſuauitate. Voluptas, opinio recens boni præſentis. Delectatio, uoluptas animũ ſuauitate aliqua ſenſus emolliẽs. Recreatio, iucũda laboris leuatio. Sed harũ omnium formarũ una eſt radix, idemq́; uſus:

quan-

quāquam ratione diuerſa eędē ipſæ cōſiderentur. Nam ad uitæ quidem neceßitatem ſubleuandā, tollendamq; animi triſtitiam, lætitia eſt nobis conceſſa. At nos falſa boni opinione, multa genera iucunditatis fingimus, ex quibus uoluptatem capiamus. Multi natura ſunt ad hilaritatem adeò procliues, ut quacunq; de cauſa leuiter oblectentur, & in riſum profluant. Alij repentinis caſibus ſummopere gaudent, ut quidam præ magna delectatione periiſſe dicantur: quales duæ illæ fœminæ Carthaginenſes fuere, quæ redeuntibus è bello filijs, quos fuiſſe cæſos putarant, tantopere gauiſæ ſunt, ut animam in eorum aſpectu cōtinuò exhalarint. Quæcunq; igitur boni præſentis opinio, quæ animum delectat, tanto ſolet maiorem parere lætitiā, quanto maius bonum adeſſe putatur. Delectatio igitur, ſub qua cæteras iucunditatis formas comprehendi uolumus, cum ex boni opinione oriatur, ſuapte natura eſt indifferens: quoniam bonum illud aut uerum, aut fictum eſſe poteſt. Ac ſi uerum ſit idem, honeſta eſt delectatio: ſi fictum, inhoneſta. Eo fit, ut finis iucunditatis honeſtam, uel turpem faciat lætitiam. Siquidem qui uirtutis habita ratione modeſtè delectatur, honeſtus: qui contrà immoderatè pro libidine ſua ex quacunq; delectatione diffluit, uitioſus eſt, & improbus. Et cum in ſenſus omnes cadat iucunditas, nullumq; ſit animal homine magis

gis uoluptuoſum, uariæ uoluptatum formæ inde dimanant. Quarum aliæ naturales ſunt, ac neceſſariæ, ut ea quæ ad animi & corporis utilitatem referuntur: aliæ nec naturales, nec neceſſariæ. Vtraque ſi ad normam honeſtatis dirigantur, & ad ſummum bonum referantur, honeſtæ: ſi uerò à ratione, Deiq; præcepto auerſæ ſint, turpes erunt. Sed ut nos harum omnium affectionum remedium tractamus, earum ſingulas enumeremus, à gaudio ſumpto principio, ne una atque eadem medicina morbis diuerſis accommodetur. Gaudium igitur eſt in eo ſolum uitioſum, ſi uel effuſum ſit admodum, ac nimium: quale eſt illud Chæreæ apud Terentium:

Iãne erumpere hoc licet mihi gaudiũ? prò Iupiter,
Nunc eſt profectò interfici, cũ perpeti me poſſum,
Ne hoc gaudium cõtaminet uita ægritudine aliqua:

uel ſi praua ex cauſa naſcatur, ut cum alieno malo delectamur: tunc enim maleuolentia dicitur, quæ à Stoicis uoluptas ex malo alterius definitur, de qua nos ſuo loco plura. Cum itaque non in gaudio uitium, ſed in eius malo uſu ſit, commoda curatio eſt, ut nec nimium & immoderatè gaudeamus, ne leues & inſolentes ſimus; nec inhoneſta etiam de cauſa. Gaudere enim mediocriter uel propter filij reditũ ex peregrinatione, uel ob nuncium aliquod fœlix, decorum eſt, & uiro probo dignum.

ut uerò lætari mirum in modum, geſtire, exultare, & in effuſam cachinnationem erumpere, non ſolum eſt uitioſum, uerumetiam dedecet maximè. Delectari præterea malo alieno, communi hominum charitati aduerſatur: abiectiq; hominis eſt, qui eo modo explere odium exemplo muliercularum uelit. Quapropter ſic gaudere, ut modum temperantiæ non tranſeas, nec alicui iniuriam facias, probi & conſtantis eſt. Quod autem hic de gaudio præcipimus, de hilaritate ac lætitia, delectationeq; omni generatim intelligimus: ſiquidem affectiones hæc cadunt ſub eandem rationem, quamuis inter ſe diſcrimine paruo diſtinguantur. Iam uerò uoluptas, quæ permanentior eſt, maius remedium deſiderat: ut quaſi morbus diuturnior, acriori curatione pellatur.

Quæ eadem quāquā ab Stoicis inter uitia cōnumeretur, indifferens per ſe eſt: quoniam uel in bonum, uel in malum uſum conuerti poteſt. Sunt enim multæ honeſtæ uoluptates, ac turpes, in quibus uirtus uel uitium inuenitur. Ex omnibus tamen eæ ſolum honeſtæ ſunt, quæ rationi rectæ conſentiunt: quales ſunt ſtudiorū, & contemplationis. Cæteræ autem omnes, quæcunq; rationi repugnāt, ut corporeæ, turpes, & à uiro probo alienæ. Qualeſcūq; tamen illæ ſint, ratione moderari debent, ne inſolenter efferantur, animumq; reddant immoderatum:

tum

tum rarius continuandæ ſunt, ne magna ſatietate moueant faſtidium. Voluptates enim, ut ait poeta, commendat rarior uſus. Omnis ergo uoluptas eſt ratione ſemper moderanda, nec ei locus alius aliquis relinquendus, ne quaſi uenenum latius ſerpat, multaq́; ſecum alia uitia afferat: ut maleuolentiam, quæ uoluptas eſt ex malo alterius: delectationem, quæ ſuauitate ſenſus animum emollit: iactationem, quæ geſtiens, ac ſeſe efferens inſolēter uoluptas eſt: cachinnationem, quæ effuſa eſt animi iucunditas: aliosq́; affectus partim immoderatos, partim indifferentes. Sed horum affectuum remedia ex temperantiæ officijs petenda ſunt: ut moderatione huius, impetus eorum componantur.

De odio. Cap. 4.

Expoſitis tribus ijs affectionibus, quæ ex boni opinione naſcuntur, amorem dico, deſiderium, & gaudium: harumq́; partibus enumeratis, ſequitur, ut de reliquis, quæ fiunt ex opinione mali, diſſeramus. Quorum primum eſt Odium, amori contrarium: ſecunda, offenſio, quæ eòdem quoque pertinet. Sed odium tamen ab Stoicis definitur, ira inueterata: ab alijs uerò, animi offenſio ob alicuius læſionem. Huius origo eſt, animi offenſio quædam, quæ malū auerſatur. Primò enim res obiecta, quæ a uiſu mala eſſe putatur, quaſi animū offendit: hic rurſus offendiculo illo læſus deterretur, ideoq́; prima odij

ma odĳ cauſa eſt offenſio: quæ poſtquã animo inhæſit, odium appellatur. Varĳs autem de cauſis odium in homine gignitur: uel ex facti alicuius læſione, ut ſi quem ob illatam ab eo iniuriam oderimus: uel ex dictis conuiciantis: uel ex praua ſuſpicione, quam de incõmoditate noſtra capimus, ut ſi quem occultum aduerſariũ eſſe putemus, ſi uxorem adulteram, ſi filium ſcortatorem. Nonnulli etiam propter abditam naturæ diſsimilitudinem alĳs uel ſine cauſa malè uolunt. Vnde eſt illud Martialis,

Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere quare:

Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Sed ĳ tamen ad odium frequenter procliues ſunt, qui ſuperbi, ac ſuſpicioſi ſint. illi, dum putant contemni ſe, aut in honore digno non haberi: hi autẽ, quòd ab illis mali aliquid timent. Communiter ergo odium contrarĳs fit ex cauſis: ut ex eius infidelitate, quem fidum putabamus: ex iniuria lædentis: ex occulta maleuolentia amiciciam ſimulantis. Id quod in Phædone Plato ſignificans: Odium, inquit, in homines tum gigni, cum nimium alicui ſine conſilio credimus, putamusq; illum uerum ac ſincerũ, fidumq; uirum eſſe, mox uerò prauum & infidelem deprehendimus. Ex quo ſequitur, ut odĳ proprium ſit, malo aduerſarĳ delectari, bonis eius inuidere, noſtra omnia illi occultare, malè deniq; ipſi uelle: id quod cum beneuolentia, quæ pars eſt ami-

*citiæ,pugnat. Quocirca in odij curatione non decet eodem remedio uti, quo in alijs affectionibus,cum etiam ſi temperetur, ſit malum: ſed illud radicitus extirpari ab animo debet, ne tota eius tranquillitas perturbetur. Cuius ſanè tollendi commoda ratio eſt,ſi cauſa eius tollatur:ut ſi iniuriam aduerſario condonemus,nec eum mutuo odio proſequamur:ſi denique bonam in partem uertamus,quidquid is fecerit. Porrò ijs qui ſine cauſa propter ingenij ac morum diſsimilitudinē alios odio habent,perfidia illa animi reſecanda & cōprimenda eſt,ut ea ſublata,odium tollatur. Quod quidem facilè erit,ſi tacita conſideratione perſpiciamus,quid cauſæ ſit,cur alicui malè uelimus:ſi quàm leuis & temeraria ſit ea opinio: ſi quàm ſit rationi contrarium,*Dei*q; præcepto repugnans, immerentem odio proſequi:ſi denique,uiro bono indignum id eſſe cogitemus.*Nam quid erat cauſæ, cur *Annibal *puer adhuc, & rerū *Romanarū* ignarus, *Gadibus in templo *Herculis* iuraret,*Romani* populi hoſtem perpetuò ſe futurum? Quid *Syllam* in *Marium* tanto ſæuire odio impulit? Quid *Pompeium* in *Cæſarem*? Quid alios deniq; omnes qui ne prouocati quidem nonnunquam, aduerſarij aliorum acerrimi extitere? *Multum ergo conſideratio hæc animi ad odium extirpandum cōducit,ſi nos omnes eiuſdem eſſe naturæ quaſi filios*

putemus

putemus: ſi fraterno amore inter nos copulari debere: ſi habere alium odio, nō minus eſſe flagitium, quàm ſi humanā charitatem uiolemus. Sed hac de re latius in amicitiæ explicatione. Odio coniuncti ſunt affectus alij uitioſi, ut offenſio contemptus, irriſio, ſubſannatio, ira, excandeſcentia, indignatio, ultio, diſcordia, inimicitia: de quibus eſt ordine à nobis hîc diſſerendum. Offenſio eſt ueluti cōmune quoddam genus his omnibus, quæ naſcitur ex dolore: ideoq; definitur, prima animi cōmotio ex mali præſentis opinione: ut ſi quis uerbis, uel factis moleſtiam afferentibus offendatur. Ex offenſione oritur contemptus, ſi id, à quo offendimur, negligamus. eſt enim is, opinio, per quam aliquis abiectus putatur. Quemadmodum apud Ouidium Vlyſſes ab Aiace contemnitur, dum ſe armis Achillis digniorem ab eodem exiſtimat. Hunc ſequitur irriſio, ſubſannatio, & quicunq; corporis motus ad alium irridendum fit. Ira præterea ex eadem offenſione naſcitur, cum in eum, à quo offendimur, acriter incitamur: eſtq; illa libido puniendi eius, qui læſiſſe iniuria uideatur. Eandem ſequitur excandeſcentia, θύμωσις à Græcis dicta, quæ uehemens iracundiæ commotio eſt. cuiuſmodi eſt ea Neptuni apud Virgilium:

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Indignatio ad odium pertinet, eſtq; offenſio ob ali-

cuius indignitatem, & caſum aduerſum. Ex quo il lud Hegionis *Terentiani,*

Prò dij immortales, facinus indignum.

Conqueritur nimirum, quòd uirginem uitiarit Aeſchines. Vltio ex odio fit, quando ei, cui malè uolumus, pœnam opinione noſtra meritam infligimus. Diſcordia eòdem quoq; pertinet: ſiquidem acerba ira eſt, odio intimo in corde concepta. Inimicitia demùm, maleuolentia, uel ut Stoici definiunt, ira ulciſcendi tempus obſeruans. Atq; harum certè affectionum aliquæ permanentiores ſunt, et habituum magis ſimiles: ut inimicitia, ultio, diſcordia, odium. aliæ contrà inſtabiles & concitatæ: ut offenſio, irriſio, contemptus, ſubſannatio, ira, excandeſcentia, indignatio. Quarum omnium diuerſa eſt curatio. nam quæ odio uiciniores ſunt, cadunt ſub illius rationem: quæ ab eo longè diſtant, peculiari egẽt remedio, ideóq; à nobis ſuo loco explicabuntur. Itaq; illi quidem affectus odio coniuncti, haud aliter curandi ſunt, quàm odium ipſum: ac ſi ab animo prorſus illud extirpari præcipimus, offenſionem etiam, contemptum, irriſionem, cæteroſq; pariter tolli etiam uolumus: quandoquidẽ planè uitioſi ſunt, nec ſi moderentur, boni erunt.

De triſticia. Cap. 5.

TRiſticia, dolor, ægritudo, mœror, mœſtitia, pro eodem ferè à Latinis capiuntur: ſignifican-

gnificanturq́; uno Græco nomine λύπη, quod tum dolorem, tum triſticiam ſignificat. Quando ergo unus eſt affectus uoluptati cõtrarius, qui omnibus his nominibus nuncupatur, expoſita illius ratione, eorundem quoq; omnium nota erit explicatio. Itaque triſticia, ut Cicero dẽfinit, eſt opinio recens mali præſentis, in quo demitti contrahiq́; animo, rectum eſſe uideatur. Sedes eiuſdem eſt animi facultas appetitoria, quæ cum ob præſens aliquod malũ, bonive abſentiam contrahitur, triſticia fit. Ideoq́; ipſa duabus ex cauſis oritur: uel ſi bono aliquo priuemur, ut in parentum, filiorum, amicorumq́; orbitate, in bonorum iactura: uel ſi malum aliquod inſtet, quod nobis ſit aduerſum, ut morbus periculoſus, mortis præſentia. In uniuerſum autem triſticia omnis ex opinione mali gignitur, quod animũ contrahit. nam ex omnibus quidem affectibus nullus æquè hominem premit, atq; illa: quæ cum difficile ex animo deleatur, magna tamen conſolatione leniri uix poteſt. quemadmodum de Niobe atq; Hecuba poetæ fingunt: quarum illa præ magno luctu in lapidem, hæc in canem conuerſa eſt. Huius ergo affectionis uis eſt, ut animum quaſi nebula obductum, demittat, angat, deprimat, uariaq́; ſecum reuoluere ac fingere cogat. Sed cum eadem triſticia uel naturalis ſit, quæ in quibuſdam uel nolentibus excitatur: uel uoluntaria, cum nos ſponte contri-

ſtamur: illa demum uehementiſſima eſt, quæ noſtra ex opinione ac uoluntate gignitur. Sæpe enim homines non tam ſuorum calamitate anguntur, quàm ob acceptam iniuriam: nec tam iniquo animo ferunt, ſi fortunæ omnes pereant, ſi relinquenda ſit patria, ſi uiolanda amicitia: quàm ſi illatam iniuriam ulti non fuerint. Vnde uarij ex hoc uno affectus naſcuntur, qui uehementer animum deijciunt, prout mali fuerit concepta opinio. Nam inuidentia, æmulatio, obtrectatio, angor, luctus, dolor, labor, lamētatio, ſolicitudo, moleſtia, afflictio, ſub ægritudinem ſeu triſticiam cadunt: quibus addunt Stoici miſericordiam, non tanquam bonum aliquem affectum, uti nos ſtatuimus, ſed ut animi morbum. Atque inuidentia quidem, ut à Cicerone definitur, eſt ægritudo ſuſcepta propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant inuidenti. Aemulatio, ægritudo ſuſcepta ex eo, quòd alius potiatur illo, quo ipſi caremus. Obtrectatio, quam Græci zelotypiam appellant, ægritudo, propterea quòd potiatur eo alius, quod nos optabamus. Angor, ægritudo premens. Luctus, ægritudo ex interitu alterius, qui carus fuerit. Dolor, ægritudo crucians. Lamentatio, ægritudo cum eiulatu. Solicitudo, ægritudo cum cogitatione. Moleſtia, ægritudo permanens. Afflictio, ægritudo ſine aliqua rerum meliorũ expectatione. Miſericordia, ægritudo ex alterius

immeritò

immeritò laborantis calamitate. Atq; hæ omnes ægritudinis ſpecies, ex eadem animi contractione naſcuntur: niſi quòd multis modis uariantur, prout cõcepta fuerit doloris opinio. quem tamen ſæpius adauget naturalis hominum quorundam conſtitutio melãcholica & auſtera, quàm obiecti mali præſentia: præſertim cum in alijs nullam afferre moleſtiã ea uideamus, quæ ingratiſſima alijs ſint. Vnde uaria eſt doloris ſubleuãdi ratio, quia uarijs de cauſis idem morbus oritur. Nam quibus triſtis natura eſt, res iucundæ maximè proſunt, quæ animi leuent mœrorẽ. Cui rei etiam cibi ac potionis modus haud párum conducit, quando humidi calidiq; cibi mœſticiam omnem adimunt: ut uinum, quod uel Sacræ literæ mœſtis ad dolorem tollendum præberi iubent. Quòd ſi uerò ex mali opinione triſticia naſcatur, curatio eſt certiſſima, ut malum tollatur è medio, uel cogitatio eius intermittatur. Quam ad rẽ multum amicorum conſolationes exhortationesq; conferunt: multum etiam tẽporis longinquitas & obliuio, quæ magnos ſæpe dolores eximit: ſed omnium maximè infractum animi robor, quo cunctas calamitates uincamus, nosq; ipſos ſuperemus. Fruſtra enim conſolatio adhiberetur, ſi humanos caſus æquo animo ferendos eſſe ignoremus, aut ſi conſilijs rectis non pareamus. Cæterùm, cum nos hìc de mœroris remedijs loquamur, putabit forſitan ali-

quis, num omnis triſticia mala ſit, an triſtari homi nes aliquando expediat? Certè triſticia, ut multi affectus alij, tum bona, tum mala eſſe poteſt. Nam ſi noſtra incommoda doleamus, ob idq; triſtemur, dummodo æquo animo id perferamus, prudentes: ſi iniquo, molles & delicati erimus. Contrà ſi aliorum fœlicitatem, resq; ſecundas ægrè feramus, uitioſi planè ſumus, cum hoc in damnum aliorũ uertatur. Quocirca, inuidẽtia, æmulatio, obtrectatio, uitioſi per ſe affectus ſunt, planeq; debent extirpari, ſi curandi ſint. At ægritudo, angor, luctus, dolor, lamentatio, ſolicitudo, moleſtia, afflictio, tum boni, tum mali ſunt, prout in malum uſum ac finem referuntur. Nam in quibuſdam nullo modo triſtari, ut in filiorum orbitate, in ſceleris commiſſi pœnitentia, non minus uitioſum eſt, quàm ſi ad inſaniam uſq; dolore afficiamur. Ita fit, ut homini neceſſaria ſit triſticia ad res multas, quemadmodum & uoluptas. Quoniam ſicut hæc uitæ tuendæ perutilis eſt, ita illa ad inſolentes animi motus cohibendos refrenandosq; plurimum iuuat. Cum ergo indifferentis huius triſticiæ medicina in moderatione quadam eius conſiſtat, amputãdæ omnino ſunt doloris cauſæ, ne animum perturbent. At ſi eidem altius inhæſerint, mitigandæ uel conſolationis aliquo genere, uel leuamento, ſuauitatéue ſunt, ne mœror occultatus grauior & moleſtior ſit.

De

De ſpe. Cap. 6.

Reliqui affectus poſt eos, de quibus eſt hacte-nus diſputatum, ad eam animi facultatē pertinent, quæ iracundia nominatur: quoniam ex hac ijdem tanquam è fonte dimanant, concitatisq́; motibus rationem perturbāt. Horum primus eſt ſpes, cum qua pugnat deſperatio: ſecūdus timor, tertius audacia, ultimus ira. Quibus de omnibus, deq́; eorum formis, ordine inſtituto dicemus. Spes igitur, ut ab ea capiam initium dicendi, eſt cupiditas euenturi boni, quod expectamus. Eadem autem tametſi appetitoriæ facultatis eſſe propria uideatur, eo quòd cupiditati adiūcta eſt: propriè tamen ad iracundiam refertur, quoniam ex confidentia naſcitur, qua quis perſuaſus, bonum ſibi aliquod expectandum proponit. Ideo ſpes ſemper ex opinione boni proficiſcitur, quæ triſticiam hominis magna ex parte delet, uitamq́; ſua iucunditate recreat, & alit. Nam ſpe ſublata, quo pacto tolerabilis eſſe uita poſſit, non uideo: eadem autem retenta, uel ſumma etiam mala æquo animo perferuntur. Ex quo illud Tibulli:

—Sed credula uitam
Spes fouet, & melius cras fore ſemper ait.
Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratris
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo uolucres, hæc captat arundine piſces,

Cum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam ualida ſolatur compede uinctum:
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

In primis ergo proprium affectionis huius eſt, bonum eſſe id ſemper, quod ſperatur: ne ſi malum ſit idem, timor potius gignatur. Bona enim ſolum *ſperantur, mala autē timentur: ac ſi quid eſt quod ſperemus, id à nobis bonum, aut malum bonitatis ſpecie adumbratum eſſe ſtatuitur.* Vnde Didonis *error apud Virgilium perſpicitur, dicentis:*
Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.
Abutitur enim illa ſpei nomine, quod ad res ſolùm bonas accommodatur. Secundò, ſpes omnis non eſt niſi rerum difficilium, quæ non poſſint ab homine facilè comparari. Nam ſi quod expectatur bonum, præſens, & in promptu ſit, nemo in illud ſpem ſuam cōijciat: cum id ſtatim amplecti malit, quàm ut de Tantalo ſcribunt poetæ, diu expectare. Tertiò, ad futura bona ſpes ſemper pertinet: quoniam præſentibus aut præteritis delectamur, futuris uerò nunquam: niſi adeò illa inſtent, ut pro præſentibus reputentur. Nec enim qui boni iam*iam inſtantis ſpe quaſi geſtit, & effertur, ſperare rectè dicetur, cum illud in promptu ſit, ſpesq; ad futura referatur: ſed potius delectari, id quod proprium eſt uoluptatis. Vltimò, quicquid in ſpem cadit, poſſe fieri neceſſe eſt : quoniam quæ humanis*

uiribus

uiribus comparari nequeunt, expectanda ſibi eſſe nemo putat, niſi aut ſtultus ſit, aut arrogans. Quib. ex rebus intelligitur, ſpem inter bonos affectus referri debere. neq; enim ſi mirum in modũ aut perperam, nihil uc ſperemus, uitioſi erimus, cum ſpes ſemper bonorum eſſe à nobis dicatur. Hoc tamẽ in ea cauendum eſt, ſi prudentes eſſe, ac moderati uolumus, ut uera prius bona dignoſcantur. ne in malo delectu decepti, mala pro bonis expectemus. Nam ſi quis ſe dicat ſperare honores, dignitates, opes, inimicorum ultionem, eiuſmodiq; alia tum mala, tum pernicioſa, is certè ſperare minimè dicetur. Quocirca appetitus ſemper rationi ſubmittatur, ne ſe iactet immoderatè, iubeatq; ea exoptari, quæ rationi neceſſariò repugnent. In expetendis præterea rebus, quantumuis bonis, moderatio quædam animi eſt adhibenda, ut ne anxij & ſoliciti admodum ſimus, & ne inſolenter quaſi re iam adepta efferamur: alterum enim anguſti, alterum uerò leuis animi eſt. Et quamuis ſpes omnis inter confidentiã ac metũ ſita eſſe uideatur, quòd, qui ſperat, partim ſibi timet, partim confidens eſt: iudicio tamen debet ea dubitatio animi confirmari, ne in uitium inconſtantiæ cadamus, modoq; ueluti deſperationis unda demerſi fluctuemus, modò in alacre ſtudium erigamur. Hinc fit, ut magnum ſit eorum, quæ ſperãtur, diſcrimen: cùm alia firmam ſui præbeant ſpem, alia

dubitationem

dubitationem habeant adiunctam. Quibus rebus & connexa opinio uariatur, modoq; ſtabilis, modò etiam infirma eſt. Nam qui certò ſperat, probabiliter opinatur: qui autem ancipiti ſententia diſtractus, inter ſpem metumq; hæſitat, infirmam habet opinionem. Sed ne de hoc affectu plura dicam, certè quæcũq; de ſpe hactenus diſſeruimus, de commotione illa animi intelligenda ſunt, qua quidquã optamus: non de ſpe Theologica, & Chriſtiana, *quam uocant, quæ ad* Deum *tota refertur, quæq; in fœlicitatis expectatione ponitur. Nã de hac dicere alienũ eſt à noſtro inſtituto, cũ & uirtus ſit eadem, & nunc de affectuum curatione tractemus.*

De deſperatione. Cap. 7.

DEſperatio, quæ ſpei aduerſatur, iraſcibilis animæ impetus eſt, à bono nos aliquo reuocans, propter opinatam eius difficultatẽ. Hæc ſpei eſt contraria, quoniam contrarijs fit ex cauſis. Siquidem ut ſpes boni adeptionem homini pollicetur; ita è diuerſo, deſperatio ab illa ipſum retrahit, cum id poſſe uno comparari demonſtrat. Itaq; affectus huius cauſa eſt, opinio quædam de rei difficultate concepta, quam tum animi contractio parit, tum hominum opinio ſæpe adauget. Multa enim ſunt, quæ quoniam difficilima iudicantur, homines in deſperationem adducunt: alia, cum uerè huiuſmodi non ſint, commmni tamen opinione talia putantur.

tantur. Proprium ergo affectionis eius eſt, ab obiecta re animum abducere, & contrahere, ne ſuis uiribus fidat, & difficultate deterreatur. Hinc multi, quia non poſſe ſuperare ſe difficultatem putarunt, in maxima delabuntur mala. Quæ, ſi uirili animo res aggrederētur, euaſiſſent profectò. alij ſibi mortem conſciuere: alij de ſe ſupplicia acerrima ſumpſere, & maiorum ſibi malorum auctores ipſi extitere, quàm quæ in bono ſperando eſſent perpeßi. Itaq; omnium bonorum conſilio exploratum eſt, nunquam uel in magnis difficultatibus deſperandum: ſed tum maximè uim animi intendendam, ubi maior ineſt neceßitas. Quamobrem deſperatio ualde uitioſa eſt: nec ſi, ut alij affectus, temperetur, eſſe unquam bona poteſt. Niſi fortè rationi ſit conſentaneum, nihil de re aliqua ſperare, quā ſincero iudicio cernimus non poſſe comparari. Tunc enim deſperatio illa non tantum uitioſa non eſt, ſed etiā contraria eius confidentia uituperanda, tum in temeritatis uitium incidat. Ex quo fit, ut ea ſolum deſperatio uitioſa putetur, quæ animi contractioni, inertiæq; coniungitur: non illa, quam uiri prudentes & circumſpecti, concipiunt. Ideo ſi res noſtris uiribus par ſit, poßitq; à nobis uel labore magno comparari, & ob animi deſidiam omittatur, uitioſa eſt admodum deſperatio. Quod ſi uerò rei obiectæ difficultas uires noſtras ſuperet, ut eſt ualde

temera-

temerarium, illam ſine cōſilio aggredi: ita uiri prudentis erit, imbecillitatem ſuam agnoſcere, ac de ſe tunc deſperare. Siquidem non minus uituperari debet illa præceps animi confidentia, qua quiduis nobis facile pollicemur: quàm deſidioſa cōtractio, quæ omnem difficultatem refugiat. Quam ob cauſam, quod Horatius de poetis in Arte ſua præcipit,

Sumite materiam ueſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & uerſate diu, quid ferre recuſent,
Quid ualeant humeri:

ad omnes æquè pertinere arbitror, ut nihil de ſe temerè polliceantur: nihilq; contrà, quod propriam facultatem excellat, ſibi tribuāt, ſed propriam uim ingeniumq; noſcant: ſperentq; ea quæ ſperari poſſint, deſperentq; contraria. ex quo intelligitur, ad huius affectionis curatiorē multum facere ſui cuiq; noticiam, & conſideratam difficultatum obiectarum dijudicationem. Noto enim in primis cuiq; ſuo ingenio, conſiderandum deinceps eſt, num meritò de propoſita re debeat deſperare, an non: idq; aliorum exemplo & comprobatione confirmabitur. Ac ſi poſſe rem fieri uel ab alijs, uel à nobis quamuis magno cum labore uideamus, dilatandus erit animus, & in ſpem bonam erigendus. Quam ad rem, aliorū, ut diximus, exēpla præter iſtam animi tacitam conſiderationē. plurimū ualent: ſi in eadem difficultate alios & fuiſſe, & bonam ſpem habuiſſe

buiſſe uideamus:ut id à nobis non poſſe fieri dubitemus. Nā quid erat cauſæ,cur Cæſar apud Dyrrhachium à Pompeio profligatus, aut deſperare debuiſſet,aut hoſti ſeſe dedere,ſi opes ſuas colligere, & ratione aliqua illius euadere manus poterat? cum magni ſæpe duces in primo concurſu deuicti, redintegrato poſtea prælio, uictores euaſiſſe dicantur. At nulla certè Pompeio ſuperato, atq; eius opibus deletis, ſpes reliqua eſſe uidebatur: cum ne reliquiæ quidem ullæ exercitus illius ſuperfuerint, quibus poſſet uictoriam amiſſam recuperare, aut ſeipſum colligere. Ergo multum ad deſperationem minuendam tollendamue facit,prudentia:quæ noſtram opinionem corrigat,ut nihil falſo difficillimum iudicet:nihilq; contrà facile ac leue,quod aut in ſpem nos adducat, aut ab ea dehortetur. Hæc igitur omnia de deſperationis affectu dici,intelligi uolumus:non de uitio Theologicæ ſpei contrario, cuius explicatio diuerſa ab inſtituto noſtro eſt.

De metu. Cap. 8.

DEſperationi proximus eſt metus, & illius quaſi radix,quoniam ex eo naſcitur deſperatio: & quicunque deſperat, metu prius corripitur. Ipſe autem ab Ariſtotele definitur,perturbatio ex opinione mali futuri,uel moleſti,uel interimentis. Ciceroni uerò dicitur,opinio mali impendentis. Huius ſedes eſt,animæ iraſcibilis facultas:quemad-

modum & deſperationis, & ſpei. Cauſa uerò, contractio quædam animi ex imminentis periculi conſideratione. Nam cum mali aliquid impendere nobis putamus, idq́; futurũ eſſe cernitur, animus contrahitur, & quaſi languet, tuncq́; fit metus Idem tamen affectus naturalis eſt, ad ea uitãda nobis à Deo conceſſus, quæ nocitura uideantur. Quo nõ minus carere uita noſtra poteſt, quàm uictu & potu, cæterisq́; rebus neceſſarijs. Niſi enim timeremus: uictum, ueſtitum, ſocietatem noſtri generis, latibula, prolis auiditatem, cæteraq́; omnia, quibus hominum cultus conſtat, negligeremus. At quoniam ſine his uiuere non poſſumus, diligenter ea omnia conquirimus. Quam ob rem metus natura ſua eſt neuter, ac bonus malusq́; poteſt eſſe, prout eius finis & uſus fuerit. Nam magnus & immoderatus planè uitioſus eſt: exiguus uerò, aut nullus, non parum uituperatur, quandoquidem temeritatis eſt comes. Bonus itaq; & rationi conſentaneus metus eſt is, qui cum fine ultimo conſentit, rectæq́; ſequitur rationis conſilium, dum & res arduas refugit, & uiribus humanis pares aggreditur. Ex quibus perſpicitur, metus mediocritatem, uſumq́; bonum, debere cũ uirtute coniungi: contrà uerò, nimium, aut perexiguum metum, eſſe ualde uitioſum. Sed cum de hac metus mediocritate in ſequentibus differendũ ſit, itemq́; de audacia, quæ minimus metus eſt: de

illo nunc, qui ex animi contractione gignitur, uerba faciamus. Is ergo, ut antea dicebamus, uitioſus eſt, & ex animi remiſſione inepta propter maioris periculi opinionem fit, cum maius eſſe illud, quàm pro noſtris uiribus putamus, & quaſi animo deſpondemus. Et *quanquam metus idem naturalis ſit in omnibus, nemoq; tam ferus & immanis inueniatur, quin timeat aliquando: tamen maior eſſe in quibuſdam ſolet, quàm in alijs, aut propter corporeæ naturæ temperationem, aut ob aliquam difficultatis conceptam opinionem. Quòd autem corporis natura timidos homines reddat, melancholicorum ac pituitoſorum corporatura declarat, quæ naturalem ijs quendam timorem inijcit, ob eorum humorum propenſionem. Opinio etiam non paruam uim habet ad metum efficiendum, cum multi ſæpe uanos timores ſibi fingant, ex animi opinione quadam: ut amatores, qui coram amata frequenter timore corripiuntur, non ob aliquam naturalem propenſionem, ſed ob falſam illius, quam amant, admirationem.* Cum *igitur his ex cauſis metus naſcatur, isq; animum ſummopere affligat, uarij ſunt eius effectus, non in ipſo ſolum animo, uerumetiam in corpore.* Nam *in primis quidem ille mentem offuſcat, cogitationes omnes conturbat, rectum ſenſuum uſum impedit, uocem compeſcit, magnaq; concitatione animum uniuerſum*

n *commouet,*

commouet, adeò ut ſæpe ſui homines ignari reddantur, uixiq; poßint ſibi conſtare. Quemadmodum apud Terentium Dauus loquitur:
Vix ſum apud me, ita animus commotus eſt metu.
Atq; hæc tam uehemens animi commotio in repentinis caſibus, qui ſunt plerunque grauiores, fit. ut cum quis in ſubitum imparatus incidit periculum: uel cum præter ſpem ab ijs circumuenitur, à quibus minimè timebat. At cum metus idē diuturnior eſt, uana ſecum cogitans hominem facit, ſuſpicionē de omnibus parit, malè omnia interpretatur, anxium & incōſtantem animum reddit, maleuolentiæ atq; odij eſt auctor, cōtra eum præſertim, quem metuit. Vt eſt illud Aenij apud Ciceronem:
Quem metuunt, oderunt:
Quem quiſq; odit, perijſſe cupit.
Sed ne hi quidē tam acres animi motus dißimulari diu poſſunt intra pectus, quin foras emittantur, & per diuerſas corporis partes explicentur. Siquidem cor metu contrahitur: uox eripitur, aut etiam minuitur: faciei color mutatur, uel in ruborem, uel in pallorem: artus contremiſcunt, coma riget, uires corporis debilitantur: frigus, lachrymæ, ac ſudor prouocatur: triſticia additur, & cura uehemens: ad fugam homines inſtigantur, uelociores ſolito, aut audaciores nonnunquam fiunt: totus deniq; hominis ſtatus immutatur. Cum

ergo

ergo tot ſint metus effectus, uariæ quoq; illi partes à Stoicis ſubijciuntur: ut pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, cõturbatio, formido, adulatio, ſuſpicio, cautio, deſperatio: Quarum omnium ſingulæ ſic definiuntur, ut Pigritia ſit metus conſequentis laboris: Terror, metus concutiens, quem ſequũtur pallor, tremor dẽtium, & corporis totius motus: Pudor, metus turpitudinis, quem robur conſequitur: Timor, mali appropinquãtis metus (quãquam hunc uideo frequenter cum metu confundi, nec ab eo diſtingui:) Pauor, metus mẽtem loco ſuò mouens: Exanimatio, metus pauorem ſubſequens: Conturbatio, metus excutiens cogitata: Formido, metus permanens: Adulatio, blanditio meticuloſa: Suſpicio, metus euenturum malum conſiderans: Cautio, diligens obſeruatio mali impendentis: Deſperatio, deiecta mentis conſternatio. His quidam partes alias adiungunt: ut deſidiam, erubeſcentiam, uerecundiam, admirationem, ſtuporem, ſolicitudinem. Ac deſidia quidem eſt, fuga ab imminenti labore: Erubeſcentia, derelictio actionis ex timore turpitudinis euẽturæ: Verecũdia, timor turpitudinis è re iam effecta: Admiratio, abiecta animi conſideratio ex opinione mali maioris: Stupor cõſideratio inuſitati mali, animum ſuſpenſum tenens: Solicitudo, cura angẽs mali imminentis expectatione. Hæ demum partes omnes ex uarijs metus effe-

ctibus dignoſcuntur, quoniam in hominibus timidis perturbationes eiuſmodi excitantur. Explicata autem metus natura, & quaſi morbi genere iam explorato, conſequens eſt, ut eius curationem applicemus. Quæ quamuis diuerſa eſſe debere uideatur, propter illius uarias ſpecies, una tamen eſt, quando una eſt timoris communis affectio. Itaq; timor, cum ex animi contractione naſcatur, corpusq; & animum pariter conturbet, danda erit opera, ut eius cauſa tollatur. hoc eſt, ut malum illud, quod eandem excitat, è medio deleatur. Siquidem ſublata morbi cauſa, morbum ipſum curari neceſſe eſt. Quòd ſi uerò malum, quod timetur, tolli non poteſt, minuatur eius ſaltem magnitudo, aut periculi extenuatione adhibita, aut conſideratione propriæ dignitatis & honoris, ac diuini præcepti. Nam ſi cogitemus, periculum per ſe nullius momenti eſſe debere, homini præſertim cordato & ſapienti: ac ſecum unuſquiſque reputet, nihil effœminatè ac molliter agendum, nunquamq; animi uires remittendas, ne aut indignum aliquid nobis committamus, ne ue à Deo, qui fortes nos eſſe iuſſit, inertiæ accuſemur: profectò & pericula quantumuis magna, nobis inferiora iudicabimus, & uim animi multo magis intendemus. Hoc in exhortationibus imperatorũ ad milites in extremis belli periculis ſæpe perſpectũ eſt: ac patrum noſtrorum memoria in

Ciſalpina Gallia Antonio Leuæ duci noſtratium ſtrenuiſſimo contigit: cuius cum milites hoſtium numero longè inferiores Gallorum, contra quos bellum gerebatur, impetum ſuſtinere aliquandiu non poſſent, retroq; cedere cœpiſſent, ipſe è lectica (in qua podagræ cauſa uehebatur, cũ pedib. inſiſtere, aut equo uehi non poſſet) exclamans, famulisq; iubens, ut in medios hoſtes immitteretur: Nõ pudet uos, inquit, milites, ducem ueſtrum hoſtibus captiuum relinquere? Qua exhortatione tantopere animati ſunt illi, ut nouis animis hoſtium multitudini reſtiterint, tandemq; de illis glorioſam uictoriam receperint. Multum igitur ad timorem leuandum periculi conſideratio, & contemptus efficit: multum exhortationes, timor turpitudinis, maioris mali metus, propoſitum à Deo præmium aut ſupplicium: ſed multo ſanè magis, animoſa hominis natura, quæ non ſolum his facilè excitatur, ſed etiam per ſeipſa ſine admonitore erigitur. Nam in rebus quidem antè præuiſis eſſe aliquis conſiderationi huic locus poteſt: at in ſubitis, in quibus nulla eiuſmodi expectatio fuit, maior eſſe terror ſolet: uehementiusq; ſemper, quæ prouiſa antè non ſunt, animum conturbant. Cuius rei cauſa eſt, primò quòd conſiderandi periculi, ſpacium non datur: tũ quòd præcaueri non poteſt. ſed quaſi culpa id noſtra contigerit, maiorem affert ægritudinem. Quod ita

eſſe, declarat propria cuiuſque incuſatio, quæ animum tunc excruciat, quòd id antè non uiderit: conſideratioq; tacita eorum, quæ facturus eſſet, ſi prius illud animaduertiſſet. Sed his ita propoſitis, uerisſima quidem metus curatio eſt, ut ad fortitudinis præcepta confugiatur. Qua de re latius cum poſtea ſit dicendum, his iam ſuperſedeamus. Ad metum pertinet Pudor, *qui quamuis ſub eandem cadere rationem quàm reliquæ timoris partes, uideatur: tamen ſeorſum explicandus eſt, quoniam alio curationis genere indiget.* Nam *pudor metus etiam eſt, ſed non ut pauor, aut terror, aut reliqui omnes quos retulimus. hi ſiquidem ex animi contractione naſcuntur, ille contrà ex magnitudine ſæpe fit. Quã ob cauſam rectè ab* Ariſtotele *definitur, animi perturbatio de ijs quæ dedecus afferre uidentur: quoniam eius ſubiectum turpitudo eſt, in quam cum incidere uereamur, timemus, ac pudore afficimur. Sed eius tamen uariæ ſunt cauſæ, nec una ſemper ratione dedecus timetur.* Nàm *ex propria etiam perſona nonnulli pudore afficiuntur: alij propter alterius quem uel amant, uel admirantur, præſentiam.* Com*munis tamen illius cauſa eſt turpitudo propria, ſiue ea naturalis ſit, ſiue opinata. naturalis quidem, ut rerum uitioſarum, à quibus naturæ inſtinctu abhorremus: opinata, ut cum hominum opinione turpia cenſentur aliqua uel in ſermone, uel in uiuendi modo, uel*

do,uel in conſuetudine,uel in alijs generis eiuſdem. Quo nomine huius affectionis uis eſt, quemadmodum & timoris, ut ratio conturbetur,cogitata memoria excidant,ſermo uacillet, & uerba dicendi ſæpe deſint:ut oratoribus inter dicendum nonnunquam,ac ſibi Cicero frequenter contigiſſe fatetur. Sed quoniam natura ſua pudor nec boni, nec mali quicquam habet,ac nobis conceſſus ad affectus alios cohibendos uidetur,ne nimis efferantur, ſolet tamen eſſe in quibuſdã magis uitioſus, quàm in alijs. Nã in iuuene ac fœmina pudorẽ maximè laudamus: quoniã in altero bonæ indolis,in altera uirtutis ac probitatis ſignũ eſt.at in adulto,qui ad agendum accedere confidentius debet,uel maximè uituperatur. Quanquã nonnulla ſunt,quæ niſi pudore hominẽ quencũq; afficiãt,ualde uitioſa iudicãtur.ut res obſcœnas proprijs nominib.enunciare,publicè cũ fœmina miſceri,in foro aut in hominũ cœtu comedere,aliaq; generis eiuſdẽ:quæ quia natura ſua,uel hominũ opinione turpia iudicantur,modeſtum uirum dedecent. Nec uerò audiendi hoc ſunt Cynici,qui nullam in uerbis, aut reb. naturalibus turpitudinẽ ponebant,cum naturæ ui ſolum iſta repudiemus,nemoq; hominem eiuſmodi diſſolutum,& licentia illa utentem,non impudicum, inuerecundumq; iudicet.Sed hac de re fuſius ſuo loco.

De audacia. Cap. 9

Metui cōtraria eſt audacia: quoniam in extremo intimiditatis, ut ſic loquar, poſita, eidem altera ex parte aduerſatur. Eadem autem eſt iraſcibilis animæ impetus, quo res arduas, ac pericula imminentia aggredimur. Nam *ut timoris eſt, obiectæ dfficultati ſuccumbere: ita audaciæ, illi ſeſe committere. Quæ propterea bonæ ſpei, ut ait* A*riſtoteles, coniuncta eſt, quòd ex cōfidentia homines in aperta ſe pericula conijciunt, ſperantq́; tutò illa ſe euaſuros.* Vnde *audaciæ origo; confidentia quædam animi eſt, ſiue naturalis, ſiue ex habitu comparata. Siquidem animoſos, & natura confidentes, audaciores eſſe alijs, experientia docet.* Ex *habitu uerò aggrediēdi res arduas, uel timidi etiam natura fiunt cōfidentes: ut milites, quaſi aßiduo pugnādi uſu audaces euaſere: aut nautæ, qui quòd ſe mari ſæpe commiſerint, contemnunt tempeſtates.* Atq; *huiuſmodi quidem genus audaciæ, quæ fit ex conſuetudine, fortitudo ab experientia nata dicitur* Ariſtoteli. Semper *ergo ex confidentia naſcitur audacia, dum aut ſibi quiſq; tribuit plus quàm æquum eſt, aut ſuam ignorat imbecillitatem.* Ex *quo fit, ut animus audacis non ratione, ſed impetu regatur: quando periculi magnitudinem non ſpectat, nec cū ſuis uiribus comparat.* Q*uamobrem neceſſe eſt fortunam audaciæ plerunq; coniungi, cū temeritate,*

nō cōſilio eius impetus feratur. Fortè enim euenit, ut pericula tutò ſuperemus, quęcunq; temerè aggreßi ſumus: quandoquidem frequentius fit, ut ijs quæ ratione non præuideris, ſuccumbas, aut ſaltem cedas, quàm illis quæ ſunt præmeditata. Nec uerò *certa, firmaq; ratio poetæ illius eſt,*

Audaces fortuna iuuat, timidosq; repellit.

cum nihil fortuitum eſſe poßit diuturnum: cumq; dementis ſit, euentum fortunæ expectare uelle, nec certa ratione res antè perſpicere, quàm aliquid ſine conſilio ſuſcipias. Hinc *fit, ut quantum à ratione fortuna, tantum à uera fortitudine diſtet audacia.* Nihil *enim eſt uirtuti cum fortuna commune, cum altera conſilio, delectu, iudicioq; conſtet: altera temeritate, & euentu.* Quibus *ex rebus datur intelligi, audaciam natura ſua indifferentem eſſe, quamuis illius nomen à Latinis malam in partem capiatur. ſed nos de ipſa affectionis ui loquimur, quæ neutra eſt, non de nomine.* Itaque *audacia indifferens cum ſit, eatenus bona erit, quatenus rationi rectæ conſentiat, & à temeritate recedat: mala uerò, ſi recto iudicio mentis non regatur.* Nam *ſi prudenter ante res agendas periculi magnitudinem perſpicias, req; bene perſpecta fidenter te illi committas, fortis ac prudens eris: quòd ſi autem impetu temerario quaſi te præcipitem dederis, nec quò rapiaris, conſideres, nihil agere uitioſius potes: cum*

in hoc maximè belluis, quæ non ratione, ſed impetu reguntur, ſimilis reddaris. Sed hæc hactenus de audacia, prout loci huius ratio deſiderabat: reliqua in diſputationem de fortitudine ſunt differenda.

De ira. Cap. 10.

D*Iximus in ſuperiori Libro, aliud eſſe affectuum propenſionem naturalem, quaquis uel ad metum, uel ad libidinem procliuis ſit: aliud uerò eius commotionem, ut metum ipſum, ac libidinem. Nunc, quoniam ad iræ uim explicandam neceſſe eſt noſſe, quæ ſit eius radix, conſiderandum præcipuè eſt, iracundiam ab ira multum differre, quoniam iracundia naturalis eſt facultas hominis propter quam facile iraſcitur: ira uerò commotio facultatis illius, & quaſi impetus animæ ratione carentis. Qua de cauſa à Stoicis ita definitur: Ira eſt libido puniendi eius, qui uideatur iniuria læſiſſe. Nam cum homo motu uehementi concitatus, ulciſci aliquem, uel iniuriã alteri facere uult, quoniam appetitione hac animus perturbatur, nec ſuo munere naturali rectè utitur, iraſci dicitur: affectioq́; illa, ira. Hæc in iraſcibilis animæ facultate poſita eſt, quoniam in eo loco concitatur, indeq́; nomen ſortita eſt illa. Cauſa uerò, à qua eadem ira efficitur, Offenſio eſt, qua læſus animus concitatur: ut cũ quis ab alio iniuria laceßitur, uel inferre*

eam ipſe uult:cum odio alium proſequimur : cum inter homines iniuriæ,contentiones,diſſidia, rixæ, eiuſmodiq; alia naſcuntur,quibus iraſci ſolent. Cui etiam rei adiunctus eſt contemptus illius, contra quem iraſcimur,quando ob eius utilitatem commouemur:id quod facere non auderemus , ſi uel eum metueremus,uel magni faceremus. Finis *præterea iræ eſt,uindictæ ſumendæ cupiditas:quia nemo unquam iraſcitur,niſi læſus,ac dolore affectus,ob illatam iniuriam,uel ob eius referēdæ auiditatem.* Ideo *ex omnibus animi perturbationibus nulla eſt turbulentior quàm ira,nulla magis rationem perturbat, nulla hominem à ſe magis alienat.* Nam *præter id quòd magna ſatis animi perturbatio eſt,alicui uelle facere iniuriam,& quaſi generis humani ſocietatem uiolare:eſt quidem ſumma iræ uis , atq; impetus nō in ipſo ſolū animo cōmouendo,ſed in corpore etiam.* Etenim *hoc primò in iratis uidere eſt; quod toto animo cōturbantur,rationis uſu carent, loqui neſciūt,ſenſibus uti nō poſſunt,atq; inſaniūt: ita ut non magis ab irato manſuetum , quàm ab inſano corda tum poſſis dignoſcere.* Ex *quo illud* Horatij *poetæ,*Ira *furor breuis eſt.*

Quemadmodum *enim* Plato *in* Timæo *refert, qui eo animi morbo laborat,neq; cernere,neq; audire rectè quicquā ualet:ſed rabie quadam efferatur,& rationis ſit expers.* Nec *ea uerò ſolum iræ*

uis

uis in hominum animis excitatur, ſed ad corpus etiam dimanat, ipſumq́; grauiter conturbat. Quàm e-enim inhumana & atrox irati hominis facies ſit, palpitatio cordis indicat, corporis uniuerſi tremor, hebetudo linguæ, faciei excandeſcentia, oculorum exaſperatio, ignoratio ſui atq; aliorum apud quos ſit, clamores uehementes, efferatus impetus, eiuſmodiq́; alia inſanorum hominum ſigna. Qualia Perſius in Satyra deſcripſit:

Nunc face ſuppoſita, ferueſcit ſanguis, & ira,
Scintillant oculi: dicisq́; facisq́;, quod ipſe,
Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Vim hanc iræ tam uehementem Homerus in Achille depingens, à Chirone illius præceptore muſicæ ſuauitate leniri & compeſci eius furorem teſtatus eſt. Sed in ipſa tamen ira permagnum eſt diſcrimen, ut Ariſtoteli placet. Nam quæ acuta eſt, citò hominem perturbat, & quaſi flamma cõtinuò euaneſcit: quæ uerò amara, diutius animis inhæret, atq; in odiũ degenerat. Illa demũ poſtrema quæ difficilis appellatur, tenaciſſima eſt, nunquamq́; ab animo expellitur, niſi ſumpta uindicta. His ergo in ſumma de ira & eius ui propoſitis, antequã illi remediũ adhibeatur, inquiredũ eſt, nũquid ira omnis ſit uitioſa, nec ne: & quæ uitioſa eſt, quo pacto debeat curari? Irã Ariſtoteles naturalẽ eſſe affectum, eumq́; neutrum aſſeruit: quamuis opinabilẽ Stoici

uti

nti reliquos omnes, eſſe putauerunt. Hanc, ſi moderata ſit, bonam: ſi nimia, uel perexigua uitioſam cẽſet. Quocirca eius mediocritatum laudat, & tanquam magnarum rerum adminiſtrã fortitudini adiungit: defectionem uerò et exuperantiam, ut extrema uitia uituperat. Ab hac ſententia Ariſtotelis Cicero in quarto Tuſculanarum libro diſſentiens, nullam iræ mediocritatem admittit, ſed illam uitioſam eſſe ſemper exiſtimat. A quo equidem tantum diſcedo, ut non modò iram omnem uitioſam non putem, ſed etiam eam laudem ſummopere, quæ cũ ratione ſuſcepta, in bonum uſum referatur. Sed de hac aliàs multo latius. Nũc ad eius uitioſæ iræ, quæ poſita in alterutro extremorũ, defectionis & exuperantiæ eſt, curationem deueniamus: principiò tamen de exigua, & depreſſa ira dicatur. Hæc igitur quamuis manſuetudo quædam animi uideri poſſit, quòd nullam turbam excitet: tamen uitioſa eſt, ſi in tempore, loco, negotioq; decenti non inflammetur. Nam ut in morbis quibuſdam, ad corporis ualetudinem medici prouocare ad iram ægrotos nonnunquam præcipiunt: ita ad animi uirtutem euoluendam, ira eadem commoueri aliquando debet, ne deſides & imbecilles ſimus. Vt cum Deum contemni, religionem irrideri, iuſticiam oppugnari, patriã inuadi, aliaq; id genus cernimus: iraſci quidem debemus, idq; Deo gratum, & apud

homines

hominesl audabile officium eſt.cuiuſmodi fuit illud CHRISTI IESV,cũ è tẽplo emptores ac uenditores eiecit.Itaq; huius conſopitæ iræ curatio uera eſt,ſi cùm tempus,occaſio,locus,neceſſitasq; poſtulat,excitetur:cæteroqui tranquilla ſicut eſt,contineatur.At uerò illa uehemens ira,quæ omnem rationẽ perturbat,maiori curatione eget:cõtraq; debet,nõ augeri ut altera,ſed minui et moderari,ne inſolentius ſeſe efferat.Itaq; huius curandæ prima ratio eſt,ut è medio ſubtrahatur is,contra quem iraſcimur,ne in obiectam nocẽdi occaſionẽ impetu feramur:ſed ut ille abſentia commouentis retardetur,ac frigeſcat,quo ad ſe mens collegerit. Nam ut ignis incenſus,ſi ei materies ſubijciatur,acrius exardeſcit:ita ira,quæ ignis quidam animi eſt, multo magis augetur,ſi eum,à quo ſumus laceſſiti, coràm habeamus. Eſt & aliud non minus eo utile remedium ad iræ motum componendum,ſi uel iratus exoretur,ut ei parcat,cui fuerit infenſus: uel ſi tẽpus ſaltem ulciſcendi differat,quouſq; ira deferueſcat, ardorq; animi mitigetur. Ira enim diuturnitate tandem euaneſcit:præſertim acuta illa , quam diximus repentinos motus ciere. cuiuſmodi fuit ea Architæ Tarentini , qui cum in uillicum ſuum eſſet commotus: Vt te , inquit, multarem nunc, niſi eſſem iratus.Contra uerò altera difficilis & amara,principiò eſt comprimenda,ne inueteraſcat,

maiorq; fiat indies, & in odium commutetur. ut eleganter Poeta monet:

Sed nunquam dederis ſpacioſum tempus in iram,
Sæpe ſimultates ira morata facit.

Quod ipſum Paulus apoſtolus ad Ephesios ſcribens: Ne occidat, ait, ſol in ira ueſtra, nec locũ diabolo concedatis. In quo iram diuturnã eſſe uetat, ne in odiũ degeneret: ſicq; locus diaboli inſidijs, cogitationibusq; malis relinquatur. Quãta enim ſecũ, qui diu iratus eſt, animo reuoluit? quas inſidias & lædendi aduerſarij occaſiones quærit? quæ denique non machinatur, ut eam uindictæ cupiditatem expleat? Quam ſi ſemel expleuerit, hinc iam cædes, iniuriæ, conuicia, uulnera, eiuſmodiq; alia hominum audacium facinora naſcuntur. Nec uerò in cohibenda ira conſuetudo parum, & habitus refrenandi ſe ipſum ualet: quando illo modo animi tranquillitas quædam gignitur, quæ nullum iræ motum admittit: quæq; uel impetui concitati hominis repugnat, & obſiſtit: ut de Archita modò diximus: & de Platõe Laertius Diogenes ſcribit, qui ſeruulum quendam, à quo fuerat commotus, Speuſippo dedit puniendum, ne ipſa ira perturbatus, in eum acrius animaduerteret. Quoniam præterea permulta alia iræ cognata ſunt quæ homines uitioſos efficiunt: ut iniuriæ, minæ, conuicia, detectio commiſſorum ſecretorum, audacia, celeritas in malo faciendo, hæc pri-

us omnia moderatione animi corrigenda ſunt, & tanquam in ſanitate curanda, ut cum morbus iræ ipſe euaſerit, ea ſimul non excitentur, eumq́; reddant grauiorem. Nam *qui in animi trãquillitate diſcit neminem lædere, nullum contemnere, aut maledictis laceſſere, non ſecreta ſibi commiſſa patefacere, non audax, & in facienda iniuria celer eſſe: is certè ne ira quidẽ percitus, eiuſmodi aliquid aget, quod fecisſe poſtea doleat.* Et *quanquam ira homines multa perpetrant, quorũ poſtea maximè ipſos pœniteat: multum tamen refert animi conſueta moderatio, ut cum iræ uis inualuerit, citius ſedetur.* Theodoſius Cæſar *(quem ſuprà mirabiliter iracũdum natura fuiſſe legimus) ab* Ambroſio *epiſcopo* Mediolanenſi *ob cædem factam* Theſſalonicenſium *ciuium reprehenſus, & admonitus, in uehementi iræ perturbatione,* Græcum Alphabetum *repetere ſecum ſolebat, ut cum iraſceretur, locum affectui relinqueret, ac ſine iniuria cuiuſpiam incitaretur.* Nos *etiam aliquos, militares præſertim uiros, in* Hiſpania *et* Germania *nouimus, qui cum natura eſſent ualde iracundi, quoniam aſſueuerant, nullum conuicijs prouocare, aut uerbis ignominioſis lædere, propter communes duelli (ut uocant) leges: tantum in ipſo iræ motu ſibi temperabant, ut re ſolum, non uerbis, aut maledictis irati uiderentur.* Q*uam quidem ad rem, quoniam illius contemptus,*

ptus,

ptus,contra quē iraſcimur,facit,ut liberius, quàm par eſt,loquamur,audaceſq; ſimus: tollenda itidem eſt eiuſmodi opinio,nulluſq; erit quantumcunq; uilis deſpiciendus,cum hoc Dei præcepto prohibeamur:nemoq; poßit tam impotens & inermis eſſe, qui potentiori nocere aliquando non queat,ut Aeſopica ſcarabei et aquilæ fabula monemur. Vna igitur,ac potißima tollendæ iræ ratio eſt,ut nihil inconſiderate agamus, ac nunquam iniuſta de cauſa cuiquam iraſcamur:ſed naturalis iracundiæ locus, quod Plato inquit,concedatur, id eſt,ut ea rationi ſemper tanquam ancilla ſubijciatur,ne liberè uagetur,ſine rationis conſilio. Nam ex tripartita illa animi ui,ratione,iracundia,& cupiditate,ſola iracundia,ut idem Plato docet, proxima rationi eſt, eiq; ſubiecta,ueluti actionum omnium adminiſtra. Quæ ſi in naturæ ſuæ ui contineatur, bona erit:ſi contrà uerò,mala. Ex quo relinquitur, iraſci quidem honeſtè,ac ſine uitio,licere homini probo,modò teneat modum uirtutis:contrà uerò temerè, & cum alicuius iniuria commoueri,non poſſe fieri ſine uitio. Qua etiam de cauſa Paulus,electionis uas, Epheſios adhortans:Iraſcimini,inquit,ac non peccetis. intelligens nimirum, iram illam à ratione recta auerſam,uitioſam:alteram illi contrariam,bonam,Deoq; gratam eſſe. Sed nos hactenus de affectuum origine,formis, cogitatione, & remedijs,

o ſatis

ſatis multa,pro tractationis inſtituta breuitate,diximus : nunc ad uirtutum explicationem tranſeamus.

ETHICES PHILOSOPHIAE COMpendij,Sebaſtiano Foxio Morzillo Hiſpalenſi authore,Liber tertius.

Quid ſit uirtus,Cap. I.

HActenus affectionũ origenem, cæteraq́; omnia quæ ad eam pertinebant,docuimus: in quo Ethicæ *philoſophiæ pars non minima cõſiſtit.reliquum eſt,ut ad ipſas uirtutes tandem ueniamus.* Propoſito *enim fine ultimo,ac morborum animi curatione tradita,proximum eſt,ut uirtutum actiones ſubiungãtur.Quam obrem de toto quidem prius earum genere diſſeremus,tum ſingula membra ſubſequentur.* Itaque *quoniam uirtutem eſſe aliquam in hominum actionibus conſtat,quid ſit eadem,primò ſtatuamus: nã unde naſcatur,deinceps exponemus.* Ariſtoteles *in Ethicis ad* Nicomachum *filium, uirtutem ait eſſe habitum cum electione in mediocritate poſitum.* Putat *enim ille,non ex una duabusúe actionib. uirtutẽ cõparari:ſed ex habitu iã adepto,& in animo inſculpto.*

inſculpto. Eundẽq; *habitũ ex electione & iudicio proficiſci cẽſet: quoniã uirtutis actio ſit uolũtaria, & è iudicio libero, delectuq; nata.* Quã *etiã in me diocritate collocat: quòd inter nimiũ & parũ affe- ctionis cõſtituta, ſymmetriã quandã rationis conſer uet.* Plato *uerò in* Theæteto, *ſimilitudinẽ cum* Deo *uirtutem definit, tum optimum animantis habitũ, ac per ſe laudabilem, alijs in locis appellat.* Nos *er- go, ne plurium definitiones enumeremus, uirtutem eſſe ſtatuimus, rectã mentis affectionem, quã rectè homines uiuant, quáq; nunquã malè utantur.* Nam *cum omnes hominis actiones ex affectu quodam naſcãtur, eæq; aut bonæ aut malæ ſint, prout fue- rint bonum ad finem relatæ, ex multis quidem eiuſ- modi rectis actionibus affectio quædam & habitus in animo comparatur, quam uirtutem appellamus.* Ex *qua uelut in naturam animi iam cõuerſa, & ho neſtæ uoluntates, et actiones rectæ oriũtur.* Itáq; *ſe des uirtutis, eſt animus: finis autem, beatitudo illa, li bro primo à nobis ſtatuta.* Cùm *enim omnia in ſum mum bonum referri neceſſe ſit, tum maximè uirtu tes, quibus idem comparatur, eôdem pertinent.* Vn *de errant quidem philoſophi, quicunq; uirtutum fi nem ultimum honeſtatem eſſe dixere: quando illa ab hac potius quaſi fonte oriuntur, & in ſummum aliud bonum referuntur.* Dum *enim ipſi uirtutes ra- tioni, ac non* Deo *ſubijciunt, qui uerus eſt (ut docui*

mus)earum finis: tyrannidem illius inducunt, ac pro ueris uirtutibus umbram earum nobis proponunt. id quod Auguſtinus doctè ac ſubtiliter diſſerit. Itaq; in uirtutum actione quidem illi uerum docent, in earum tamen fine peccant: cũ fruſtra ſummum bonum poneretur, niſi ad illud referantur actiones: et ex bono, malóue fine rectæ eſſe, prauæq; actiones dicantur. Ex quo etiam, Platonem alijs ſenſiſſe rectius, cognoſcitur, qui dum uirtutem fugam eſſe ex hoc mundo, & cum Deo ſimilitudinem inquit, illam ipſam ſimilitudinem ſummum eſſe bonum ſtatuit: actionem autem & uirtutem ad idem conſequendum, fugam ex hoc mundo appellauit, id eſt, ab his uitijs corporeis. Sed nos hæc ad uirtutis definitionem explicandam, breuiter attigimus. nũc ad illa, quæ ſequuntur ipſam, ſermonem conuertamus.

De origine uirtutis, ac num ſit illa uoluntaria. Cap. 2.

Itaque hoc loco reſtat explicandum, undé nam uirtus naſcatur: quãdo in eius origine multos dubitare cernimus. Stoici enim uirtutes inſitas à natura nobis eſſe putant, ac naturam uelut optimam ducem ſequendam præcipiunt: quoniã in uitæ cum illa congruentia ſummum bonum ſtatuunt. His ſeſe obijciunt Peripatetici, qui non natura uirtutes, ſed uſu & aſſuetudine conſtare docent. Contrà uerò Plato

Plato in Menone, nec natura nobis, nec exercitatione comparari eas exiſtimat, ſed diuina quadam ſorte. Quo nomine in tanta opinionum uarietate ſtatuendum eſt, quænam uera ſit uirtutis origo: ne hoc ignorato, reliqua uacillet oratio. Virtutis ac uitiorum ſemina quædam eſſe nobis attributa, ſuperius retulimus. Ex his nec plane bonos, nec malos dici nos oportere, perſpicuum eſt: quoniam ob naturalem facultatem nullus bonus uel malus dicitur, ſed ob actiones, aut habitus. hi ſiquidem ueluti qualitates quædam inſculptæ animo ſunt, ex quibus nomina deſumimus. Cum ergo facultate hac, & naturæ dexteritate promptiores ad uirtutum actiones ſimus, fit, ut agendo frequenter habitum uirtutis cõparemus, ac ueluti naturam quandam honeſtatis induamus. Et quanquam eiuſdem naturæ dexteritate uirtutũ actione uti facilè poßimus, num tamẽ id planè ſine Dei munere fit, qui mentem noſtrã ad uitia procliuẽ mouet, & afflatu impellit, ut, à uitijs uelit declinare, ac uirtutis uiam ingredi? Nam ſine me, inquit per Ioannem Chriſtus, nihil poteſtis facere. Omne datum, Iacobus ait, optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Itaq; nobis uelut inſtrumentis Deus utitur, dum uoluntatem noſtram ad bene agendum inducit: poſtea uerò nos, quaſi eius ſpiritu cõcepto, rectè agere incipimus, recteq; ſemper agendo uirtu-

tis habitum comparamus. Hinc *fit,ut nec uirtus à natura nobis ingenita ſit , nec noſtri etiam animi promptitudo ad eam comparandã per ſe ſit ſatis: ſed partim* Dei *auxilio indigeamus , partim uerò nos aliquid agamus.* Atque *hoc eſt quod Chriſtus in* Euangelio *refert:* Sine *me nihil poteſtis facere.* Inde *etiam perſpicitur philoſophorũ error in uirtutis origine tradenda,dum ſolam noſtram uoluntatem exiſtimant ad uirtutem comparandam eſſe ſatis , idq; animi naturali facultati tribuunt , ac non etiam priuato* Dei *beneficio.* Quamobrem *expoſita iam uirtutis radice,dubium adhuc eſt, cuiuſmodi ſit illius ſubiectum,aut quæ actiones ad eã pertineant : ac num eædem uoluntariæ ſint , nec ne.* Qua *de re dicendum hoc loco nobis eſt, cum id maximè ad uirtutis explicationẽ pertineat.* Virtutem *omnem in actione aliqua conſiſtere, philoſophi omnes affirmant.hoc enim illa differt à ſcientia,quòd hæc ſola cognitione contenta, nihil amplius requirat:illa uerò in actione ſemper uerſetur. ſed eſt tamen permagnum in ipſis uirtutum actionibus diſcrimen.quædam enim mẽtis agitatione ſolum contentæ,foràs non prodeunt:aliæ in extremã actionem proferũtur.* Omnis *tamen uirtus,tum mẽtis contemplatione indiget, tum aliqua externa ui agendi.* Nam *ſi ſola mentis comprehenſio ad uirtutem efficiendam ſatis eſſet,nec ad uitæ uſum referretur,*

retur, non uirtus, ſed ſcientia dici deberet. Ergo à fine agendi, ad quem referuntur uirtutes, actuoſæ omnes ſunt: quamuis eæ, quæ magis agitatione mentis indigent, intelligibiles appellantur. quæ uerò in externis actionibus uerſantur, morales, quaſi in hominum moribus poſitæ. Hoc ipſum ex prima illa uirium animi diſtinctione, ſuperius propoſita, apertius explicabitur, ſi prius quo pacto ex iiſdem illis naſcantur uirtutes, oſtendamus. Quapropter uires eædem animi quatuor, quas uirtutum ac uitiorum principia eſſe diximus, facultas inquam, affectus, actio, et habitus, in diuerſas uirtutes uariè incidūt. Nam ad intelligibiles ſatis eſt animi facultas atque habitus, qui ex actione quadā interna mentis uſitata comparatur. Ad morales autem neceſſe eſt, non ſolum facultatem animi propriam nos habere, ſed affectione quoq; cōmoueri, ut ex eiuſmodi affectu naſcatur actio externa, ex actioneq; habitus. Quã etiam ob cauſam tributi nobis ſunt iidem affectus, ut mentis cogitationes forás producerent cōmoto corpore: id quod animus per ſe facere nequiret. In omni ergo uirtute ac uitio, primùm rem animo cōprehenſam uel bonam eſſe, uel malam intelligimus, propter naturale dignoſcendi boni iudicium. Eius uero rei cognitio à mente dijudicata, examinataq; & in animo impreſſa, cum in habitum iam euaſit ex uſu uirtutes efficit intelligibiles. cum autem ea-

dem ab affectu quaſi motu quodã impellitur, & in aliquam actionem prodit externam, cuius uſu frequẽti cõfirmatur, uirtutes parit morales. Quo fit, ut omnes uirtutes aliqua conſtent actione, ſiue illa intra mentem cõquieſcat, ſiue ad externas actiones proferatur. Quando igitur uirtutis ſubiectum conſtitutũ eſt, reſtat adhuc inueſtigandum, nũ actiões, in quibus eam collocamus, uoluntariæ ſint, quẽadmodum in affectibus docuimus, an ab alio impellantur. Quocirca ut omnia quæ fiunt, aliquod effectionis ſuæ habent principium, nihilq́; (ut Plato inquit) ſine cauſa fit: ita etiã in hominis actionibus cauſam aliquam ſtatuere oportebit. Quoniã præterea homo idem principium eſt ſuarum actionum, ut reliqua animantia omnia, et actio omnis motio quædã eſt: profectò illum initium eſſe actionum ſuarũ, cõcluditur. Porrò cum actiones uniuerſæ aut neceſſitate, aut natura, aut fortuna, aut uoluntate (ut ſuprà diximus) fiant, nullam certè huiuſmodi cauſam hominis actionibus tribuemus, præter uolũtatem: cui propterea neutras, & contingentes res, quæ illo, uel hoc modo euenire poßint, ſubijciamus. Quarum ex genere cum uirtus, uitiumq́; ſit: perſpicuum eſt, omnem uirtutem ac uitioſitatem eſſe uoluntariam. Hoc idem ex aliquo iſtorum trium initiorum, quæ in homine ponuntur, confirmabitur: nimirum ex appetitu, electione, uel intelligentia. Quorum

ſi ali-

ſi aliquod uoluntarium ſit, neceſſe erit etiam, id quod ab eo fiat, uoluntarium eſſe: quando effectus cauſæ ſuæ ſemper eſt ſimilis. Atqui appetitus ſanè cum in tres partes diuidatur, ut Ariſtoteli placet, in cupiditatem, iracundiam, ac uoluntatem: uidendum eſt, nunquid partes hæ omnes uoluntariæ ſint, nec ne, quoniam ex ijs actiones enaſcentes tales uidebuntur. Cupiditatem ergo uoluntariam eſſe, nemo dubitat: quando id quod malum eſt, nunquam cupimus, niſi boni aliqua ſpecie fallamur. Quod ſi autem delectum cupiditatis habuimus, & electio omnis uoluntaria eſt, cupiditatē quoq; uoluntariā eſſe oportet: & quidquid cupiditate fit, uoluntate fit etiam. Idem de iracundia probare poſſumus. nā uel ob aliquā cauſam iraſcimur, uel ob nullā. atqui ob nullam, dicendum non eſt, cum nemo ſanus temerè iraſcatur: aliqua igitur de cauſa cōmouemur, proindeq; finē iræ aliquē habemus, intelligimusq; cur iraſcamur, ideoq; uolētes affectu hoc perturbamur. Quinetiā uoluntarium eſſe omne id, quod fiat uolūtate, dubitari nō poteſt: quādo id quod liberè fit, à uolūtate proficiſci dicitur. Quare ſi nulla in appetitus ſpecie inuitū quicquā reperitur, nec in ipſo erit appetitu illud: ac propterea quidquid cum eo fit, uoluntariū eſt. Nam actiones omnes hominis ex appetitu naſcūtur: quandoquidē ratio ſolū quid ſit agendū præſcribit, appetitus ad actionē mouet:

& quēadmodū idē ipſe qui agēdi principiū eſt, uolūtate regitur, ſic etiam actiones eiuſmodi planè ſunt. Quod aūt de appetitu hactenus probauimus, ad electionē & intelligentiā accōmodari facilè poteſt, quādo utraq; manifeſtā efficiēdi libertatem habere uidetur. Nā electio nihil aliud eſt, quā boni ſequēdi propoſitū in re dubia: quæ eadē nec uolūtas, nec appetitus, nec iracundia eſt, ut docet Ariſtoteles: ſed forma quædā uolūtarij, quæ in quæſtiōe de re dubia quod melius eſt, eligit. Intelligentia præterea cū rationi ſit maximè cōiuncta, adeò tamē eſt uolūtaria, ut ſine hac illa non poßit exiſtere, niſi ab intelligentia quaſi prius admonita, quid agendum ſit, noſcat. Quamobrem ſi propoſitis agendi omnibus initijs, quibus homo utitur, nihil in ijs inuitum reperimus, actiones etiam illius uniuerſas uoluntarias eſſe relinquitur. Quanquam nonnullæ ſunt mixtæ ex utroque genere: ac partim inuitæ, partim uolūtariæ uidentur, quæ magnam propterea afferunt dubitationem. Ad quarum quidē explicationem, quo modo in ijs inuitum, uoluntariumq; cernatur, uideamus. (quod autem nos hìc de hominis actionib. loquimur, de uirtutib. etiam, quæ ex ijs fiunt, intelligi uolumus) Quapropter, ut res magis explicetur, de uoluntario iterum, atq; inuito latius dicamus, quanquam de his ipſis libro priori non panca retulimus. Quando id ſolum uoluntarium eſſe conſtat,

quod

quod in noſtra ſitum poteſtate ſit, cuiusq; in nobis principium agendi ponitur: hinc eius cognitionem poſſumus tenere, quod quidquid eſt uoluntarium, laude aut uituperatione dignum cenſetur. contrà uerò inuitum, cum in nobis non ſit, nec laudari nec uituperari poteſt, ſed uenia dignum putatur. Sunt tamen actiones, uti cœpimus dicere, aliquæ ancipites ac mixtæ, quæ non paruam dubitationem habẽt. Cuius generis illæ ſunt, nautas tempeſtate coactos merces ſuas in mare proijcere, aut propoſitas ab hoſte cõditiones in deditione accipere, & quæcũq; demum ui neceſſitatis impulſi facere cogimur, quæ minimè ſi eſſemus liberi, faceremus. Verũ hæc quidem non ſine optione aliqua & aſſenſu uoluntatis fiunt, quando præſens periculũ eo modo uitare uolumus, ideoq; inuita non ſunt. Itaq; quoniam agẽdi principium nobis inſitum eſt, uoluntate agere dicimur, & ſi nonnunquã impulſi ad agendum accedamus. Vnde ebrij & irati, ut ait Ariſtoteles, ſi quid mali commiſerint, uitioſi ſunt: ac proinde uolẽtes peccant, cum in ſe habeant agendi principium, poſſetq; illorũ alter non iraſci, alter non inebriari. Et quamuis ijdem illi ignorantes id fecerint, nõ tamen ex habitu ignorationis impulſi hoc fecere, ſed ex repentino motu, quo ſunt quaſi acti præcipites: quoniam ſi ex habitu id feciſſent, ſemper feciſſent: ſed cũ ex ſimplici actione illud fuerit profectum, debet ut

ſimplex

ſimplex actio, reprehẽdi. Ex quo ſequitur, inuitum duplici de cauſa fieri. primò ex ui quadã illata, cum coacti aliquid agimus: ſecundò ex ignoratione, cum quid agamus, neſcimus. Prioris quidem generis exempla ſunt, ut cũ Zeno philoſophus abſciſſam dentibus linguam in Dionyſij tyranni os expuit, ne amicorum coniurationem pateſaceret: inuitus enim linguam abſcidit. Secundi uerò, ut cum telũ in ſcopum emiſſum, prætereuntem transfigit. Quo nomine repentinæ actiones inuiti ſimilitudinem aliquam habere uidentur, cum tamen non habeant. nam ſi nos facti poſtea pœniteat, doloreq́; illius afficiamur, inuiti id fecimus. uidemur enim in eo oſtẽdere, non fuiſſe nobis liberũ agendi principium. In eo tamen uitium eſt, quod affectum ratione cohibere debuiſſemus, ne uitioſa eſſet actio. Nam etiam peccata illa, quæ ab irrationali parte animi naſcuntur, uolũtaria ſunt: quandoquidem ut facultas expers rationis ab eadem ipſa rationabili proficiſcitur, hæcq́; conſultò & uolens peccat, ita quoq; uitia irrationalis partis uoluntaria ſunt. Quamobrem ſi actiones omnes hominis, tã eæ quæ fiunt cum affectu, quàm quæ ſine ipſo, uoluntariæ ſunt: uitia quoq; & uirtutes, quæ ex ijs naſcuntur, uoluntariæ erunt. Atque hæc ſatis ad quæſtionem propoſitam ſint: reliqua, quæ ad hominis libertatem agendi ſpectant, alterius ſunt tractationis.

De

De uirtutum mediocritate. Cap. 3.

Illud tunc tractationi huic de uirtutibus deeſſe uidetur, ut de ipſarum mediocritate diſſeramus, quæ quibuſdam philoſophis adeò placet, ut ſine illa non putent cōſtare poſſe uirtutes: alijs uerò tantū improbatur, ut tanquam inutilem & ridiculam, ab hac morum philoſophia illam explodant. Quorū omnium ſententijs breuiter explicatis, quid ea de re tandem uerè ſit ſentiendum, aperiamus. Ariſtoteles in Ethicis ad Nicomachum, cum in omnibus ſymmetriam, mediocritatemq́; rerum præſtantiſſimam & commodiſſimam eſſe doceat, utpote quæ res conſeruet, ac temperatas pulchrasq́; faciat: tum in ipſis etiam uirtutibus eandem ponit, ita ut cum eædem uel morales, uel intelligibiles ſint, illæ quidem duntaxat in mediocritate ponantur, hæ uerò non item. Cuius rei cauſam eam affert, quòd ex affectu uirtutes illæ naſcantur: hic autem ratione temperari debeat, ſi bonus futurus ſit: quando id quod uirtutem producturum eſt, ſimile ut ſit eidem opòrteat. itaq; ut bonis ex affectib. uirtutes morales dimanant, eorumq́; bonitas in mediocritate quadam eſt poſita: ita quoq; in eadē illæ cōſtituantur. Quòd autem affectus moderati ſint boni, inductione probatur, quando iraſci multum, uel nihil, uitioſum eſt: contrà uerò mediocriter, & cum tempus locusq́; poſtulat, bonum. item metuere mirum in modū, aut nullo

nullo metu tangi, uitium: at cum opus eſt, timere, uirtutem eſſe inquit Itaq; affectuũ extrema ſemper eſſe aliqua putat, quæ uel in defectione, uel in exuperantia ſint: eaq; cenſet uitioſa eſſe, mediũ autem ipſum honeſtum. Cum uerò affectionis ille mediocritatem uirtutẽ, & extrema uitium appellat, minimè quidem intelligit, reuera illud mediũ exiſtere, aut hæc extrema eidem eſſe oppoſita ex utraq; parte, quemadmodum in linea, aut quacũq; in re alia, ubi tria hæc interualla ponuntur: ſed quòd ratione quadam extremum, mediumq; illud cogitetur, quatenus tẽperatio quædam affectuũ rationi congruẽs ſeruatur, è qua uirtutes oriũtur. Quamobrẽ duplex ipſe mediũ ſtatuit: rei unũ, quod appellat, quale eſt illud, quod inter duo extrema poſitum ab illis æquè diſtat: alterum rationis, ut eſt quædam ſymmetria muſicæ perſimilis, in qua affectuum contrariorum temperatio concinna ſeruatur. Nec uerò hanc mediocritatem ille certo aliquo quaſi puncto terminari cenſet, ut ſunt rerum aliarum media, quæcunque extremis æqualiter ſunt interiecta: ſed latius patêre ipſam exiſtimat, ut pro uirtutis præſtantia mediũ intendatur, remittatúrue rurſum. Et ut rem breui circumſcriptione cõplectar, uirtutẽ Ariſtoteles mediocritatem hanc affectionum, ſiue illarum cum rationis rectæ iudicio congruentiam putauit eſſe: uitium autem, extrema mediocritati illi contraria,

quæ

quæ tum in eo quod nimium eſt peccent, tum in eo quod parum. Quorum tamē hunc ordinem eſſe docet, ut nō modò extrema uirtuti ſint contraria tanquam uitioſa, ſed ſibi quoque ipſis: quoniam uitiorum eſt ea natura, ut & uirtutibus, & ſibi ipſis repugnent. Hæc demum eſt Ariſtotelis, Peripateticorumq; omnium, de mediocritate uirtutum ſententia, breuiter comprehenſa. Plato uerò, quanquam nullam eius mediocritatis, quod ego uiderim, fecerit mentionem: tamen Apuleius in libro de illius philoſophia, Alcinousq; uirtutes in meditullio uitiorum poſitas ab illo eſſe, ipſumq; idem cum Ariſtotele ſenſiſſe, confirmant. Contrà alij, eandem mediocritatem tollere rationibus multis conati ſunt: quoniã uitioſos eſſe affectus, uel mediocres aſſerunt, ut ex ijs uirtutes nequeant emanare. Quorum è numero Stoici primùm fuere, tũ M. Tullius in libris Tuſculanarum quæſtionum: deinde Lactantius Firmianus, et Laurentius Vallenſis in tertio de Voluptate libro. Nos ergo ne multam in huiuſmodi controuerſijs operã ponamus, breui quadam affectuũ diſtinctione facta, quo pacto mediocritas poßit conſtare, uideamus. neq; enim Peripateticis planè aſſentiendum exiſtimo, dum affectuum quãcunque mediocritatem ſatis ad uirtutem eſſe exiſtimant: nec ijs etiam, qui omnino illam labefactant & tollunt. Itaque ut nos mediam inter illos

ſententiam

ſententiam ſequamur,conſiderandum eſt quidem, affectuum eſſe alios natura ſua bonos, alios autem malos,alios demũ neutros.Prioris generis ſunt beneuolentia,miſericordia ſecundi,odium,petulãtia, inuidia,liuor.ſuperbia, deſperatio:tertij, ira,ſpes, audacia,cupiditas,amor,gaudium,triſticia, metus. Quicunq; igitur boni affectus ſunt, mediocritate illa Ariſtotelis non egent,quando uel ſi nimij, uel exigui ſint,bonitatẽ retinent ſuam:ut miſereri alienæ calamitatis,bene uelle omnibus,ſiue id nimis,ſiue parum fiat,rectum eſt.Contrà uerò ij qui per ſe uitioſi ſunt,quantumcunq; temperentur, uirtutem efficere non poterunt,cum uitioſitas uel mediocris mala ſit:ut parum multúmue alicui malè uelle,ſuperbire,inuidere.Poſtremò neutri, & indifferentes,ut ira,amor,gaudium, uoluptas, mediocritate rationis indigent,ſi uirtuti debeant congruere,nec per ſe ſunt aut uitioſi, aut boni appellandi, cum iraſci,gaudere,delectari,affíciq; multis modis liceat,dummodo fuerit rationi conſentaneum. Contrà ſine conſilio & immoderatè perturbari, aut nullo prorſus affectu tãgi,ualde uitioſum eſt. Sed hæc ad propoſitam mediocritatis rationem explicandam attigiſſe ſatis ſit:plura enim ad rem parum conducunt. Ad interim aliquis addubitabit fortaſſe, cur affectuum mediocritatem rationi ſubijciamus,cum eodem quoque modo uirtutes illi debeant ſubijci,id

quod

quod nos antea negabamus: ſic que ad finem illum ultimum bonorum non referrentur? Quibus quidem ut breuiter reſpondeamus, hoc modo rationi affectus, actionesq; multæ ſubijciuntur, quód illa ſupremus ſit in homine quaſi iudex, qui cuncta perſpicere, & ad bonum referre debeat: eadem uerò actiones, quas rectas eſſe iudicarit, ad Deum ipſum referat: non tamen ipſa quaſi ad tyrannidem aſpirans, ſibi omnia tribuat, cum iudex ſit ſolum, & examinatrix actionum humanarum, nõ finis earum extremus.

De uirtutum diuiſione ac partibus. Cap. 4.

QVando de toto genere uirtutum hîc à nobis diſſeritur, antequam ſingula earum mẽbra perſequamur, inquirendum prius eſt, nunquid una ſit uirtus omnis, an multiplex: et ſi multiplex, quot eius ſint partes, quomodóue inter ſe affectæ. Vnam eſſe uirtutem omnem animo impreſſam, quæ diuerſis rebus accõmodata, uaria nomina ſortiatur, cum una & eadem ſit, philoſophi multi putauere. Nam & Zeno Stoicus, Menedemus, Ariſto, ac Plutarchus in libro de Virtute morũ, idẽ affirmãt, negãtq; multas uirtutes eſſe, ſed unam duntaxat, quam in animo quaſi affectionem quandam ponunt, quæ prout uarias actiones produxerit, diuerſa nomina accipiat. Quam etiam ſententiã ueram eſſe quodãmo-

do, uirtutũ ipſarũ connexio declarat: cum illæ adeò inter ſe copulatæ ſint, ut una deficiente, tollantur ſimul omnes, & qui unam habeat, reliquas quoque habeat. Huic ipſi fauere Plato uidetur, qui prudentiam modò uirtutem uniuerſam appellat, modò iuſticiam, modò etiã reliquas. Item Alexander Aphrodiſienſis in quarto Quæſtionum libro, uirtutem inquit genus nullum eſſe, quod ſub ſe alias formas cõtineat: cum genera, uel ſublata aliqua forma, permaneant: uirtus autem non item, uirtute aliqua deficiente. Hanc ipſam negat eſſe totum aliquid, quod ex multis ſui ſimilib. cõſtet: quoniam totius ac partiũ ſit eadem ſemper ratio, uirtutis autem uniuerſæ ac ſingularum non ſit. Quod idem Ariſtoteles in libris Ethicorum prius ſenſiſſe uidetur, dum uirtutem non ut genus aliquod ſtatuit, quod in uarias formas diſtribuat: ſed eam uelut totũ quiddam primò definit, tum actionibus diuerſis accommodans, diuerſas efficit quaſi formas uirtutũ. Atqui hi certè omnes unam eſſe uirtutem omnem cenſent, alij contrà quadripartitam eius diuiſionem faciunt, alij bipartitam, alij partium complurium. Nam Plato idem multis in locis quatuor uirtutis partes adducit, prudentiam, iuſticiam, fortitudinem, temperantiam. Idem quoq; affirmat Plotinus, qui quatuor ijs partibus totidem alias adiungit: uidelicet exemplares, quæ uelut ideæ ſint in Deo poſitæ: purgatorias,

quæ

quæ animũ à uitijs purgẽt:purgati animi,quæ in eo qui ab omni uitio ſit alienus,ponãtur:ac ciuiles,qui bus homines in uitæ ſocietate utãtur. Atq; in harũ ille uirtutũ unamquamq; quatuor illas ſuperius cõ memoratas incidere exiſtimauit,ut in exemplarib. inueniatur prudẽtia,iuſticia,fortitudo, tẽperantia: atq; eodem modo in reliquis. Quam itidem diuiſio nem Auguſtinus ſequutus,exemplares ſolũ,purgatorias,& ciuiles ſtatuit,purgati uerò animi reijcit. Iam uerò Ariſtoteles duo tantũ uirtutis genera po nit:intelligibiliũ unum, alterum moralium. Pleriq; demum communi conſenſu uirtutis quadripartitam diuiſionem faciunt,quamuis inter ſe uerbis diſcrepent. Quanquam enim alij duo tantum genera poſuerint,alijq; plura:ad quatuor tamen illas ſupe riores,prudentiam inquam, & reliquas,quaſi ad fontem cæteras reducunt. Quorum quidem ſententiam,ut à pluribus receptam,nos ſequemur:quã do hæc quatuor ſub ſe uarias uirtutes comprehendunt,commodiusq; ſingula explicantur,ſi totum in partes diſſecetur, eæq; certo ſub genere conſtituantur. Sed antè tamen,quàm ſingulas uirtutes enumeremus,quo pacto illæ inter ſe connectantur, doceamus: quamuis idipſum in fine totius operis facturi ſumus. Cum omnis uirtutum origo à recta ratione naſcatur,uirtusq; ipſa affectio quædam animi recta ſit, ex ea quidem actiones omnes

rectæ oriuntur, quæ Ciceroni Latiniſq; alijs officia nominantur. Officium autem ipſum cum diuerſis rebus accommodetur, quatuor illas uirtutes à nobis ſuprà commemoratas procreat: ſed una tamen eſt recta ratio, ex qua eædem omnes naſcũtur, & cuius cauſa uirtutes unam eſſe aliqui putarunt. Parum enim refert, utrum unam, an plures eaſdem eſſe dicant: modò illi nobiſcum in eo conſentiant, uirtutes omnes ab una uirtute animi proficiſci, diuerſaq; nomina ſortiri. Itaq; quatuor illæ propoſitæ à nobis uirtutes ſubiecto ſolũ inter ſe differunt, nõ origine, quæ una eſt animi bonitas. Nam cũ earundem ipſarum, ut Platonici uolunt, aliæ perfectæ ſint, aliæq; imperfectæ, quòd illæ uidelicet in animo confirmatæ ſint, hæ uerò non item: certè uirtutes omnes perfectæ adeò inter ſe colligantur, ut uel earum una ſublata, reliquæ tollantur omnes: contrà, imperfectarum remanere aliquam nihil obſtat, ſublatis etiam alijs. Vt qui iuſticiæ habitum confirmatum animo iam habuerit, reliquas etiam uirtutes ſimul habebit, quoniam omnes mutuò ſe conſequuntur. At qui ſemel iuſtè, fortitérue aliquid fecerit, nõ continuò reliquas uirtutes habebit, cum ex una actione uirtutis habitus non gignatur. Sed hac de re latius ſuo loco dicetur. Nunc ad propoſitam uirtutum diuiſionem redeamus: in qua cum quatuor ſumma capita nobis propoſita fuerint, ordine explicãda erunt.

da erunt. Ideò primum locum Prudentia obtinebit, quæ quaſi iudex omnium reliquarum eſt: ſecundũ Iuſticia: tertium Fortitudo: quartum Temperãtia. Nam ut uires animi, ex quibus uirtutes hæ naſcuntur, certo inter ſe ordine affectæ ſunt: ita quoq; illæ inter ſe mutuò ſe habent. Singulæ enim ſuas certas animi ſedes obtinent, in quibus potiſsimùm collocã tur, ut deinceps uidebimus. Sed in primis de prudentia diſſeramus.

Quid ſit Prudentia, & eius origo. Cap. 5.

PRudentiam definit Ariſtoteles, habitum, uera ratione idoneum, ad ea agenda, quæ humanæ uitæ conducant, aut obſint. Eandem Plato uocat ſcientiam bonorum ac malorum indifferentium: alij rectam rerum agendarum rationem: alij ſolertiam, ac perſpicientiam ueri. Nos demum prudentiam eſſe ſtatuimus, rectam quandam mentis affectionem, qua quid ſit in hominis actionibus agendum, quidúe fugiendũ, cognoſcimus. Hæc ipſa quam uis in humanis actionibus, ſicuti uirtutes aliæ, uerſatur, tamen circa ueritatem tanquam ſubiectum præcipuè conſiſtit: ideoq; dux ac princeps eſt cæterarum omniũ. Siquidem prudentia quando ſit utendũ iuſticia, fortitudine, uirtutibuſq; alijs docet, nullaq; poteſt eadem illa carere. Quam ob rem in Menone Plato, uirtutis uniuerſæ principem prudẽtiæ

locum tribuit:& Ariſtoteles,cæteriq; omnes,idem confirmant.Nam ſi actio uirtutis ex recto rationis iudicio delectuq; oritur,nullumq; rectum iudicium eſſe poteſt,quod prudentiæ non ſit cõiunctum,profectò uirtus omnis prudentia uacare non poteſt. Cum ergo illa uirtutum omnium ſit præſtãtiſſima, & quaſi dux:docendum eſt,in qua parte animi collocetur,tum quot ſint eius partes,harumq; officia, & diſcrimen à reliquis. Ad prudentiæ igitur ortũ inquirendũ,repetito altius principio, diuiſionem animi rurſus proponamus. Quemadmodũ in ſuperioribus duas animi facultates ad uirtutis uniuerſæ originem tradendã poſuimus:unam rationis participem,ex qua uirtutes intelligibiles orirẽtur:alteram expertem,ex qua morales:ſic etiam in hoc loco,cũ de prudẽtia,uirtutibusq; alijs ſub intelligentiam cadentib. diſſerendum ſit,pars itidem illa rationis particeps bipartitò diuidenda eſt.Itaq; eius una eſt facultas,qua rerum ſcientiam intelligentiamq; capimus:altera,qua ratiocinamur de ſingulis, quæ ueniunt in dubitationem. Quarum quidem illam ἐπιστημονικὴν,id eſt,ad ſcientiam accommodatam: hanc λογιστικὴν,id eſt ratiocinatricem, uocat Ariſtoteles. Vtraq; ſanè pars cũ in ueritatis inquiſitione uerſetur,uirtutes intelligibiles,quæ circa ſubiectum idem uerſantur,ex ſe procreat. Quo fit,ut eadem Ariſtotelis ſententia quinq; ſint numero:ſcientia,

tia, ars, prudentia, ſapientia, intelligentia. Hæ ipſæ cum ad ueri inquiſitionem referantur, atq; ex illis animi rationabilis partibus emanent, haudquaquã ex alterutra illarũ oriuntur: ſed quæ ueritatem exa ctius inquirunt, ab ἐπιςημονικῆς enaſcuntur, ut ſci entia, ſapientia, intelligentia: quæ uerò non tam eui denti, ſed probabili ueritate contentæ ſunt, ut ars, & prudentia, ex ratiocinatrice. Ideo his ipſis προαί ρεσις, id eſt delectus coniungitur, qui tum reliquas morales uirtutes procreat, tum etiam has ipſas. Nam cum electio appetitus quidam rationi conſen taneus ſit, uirtutũ eſt effectrix, non quidẽ omnium, ſed earum quæ in partem ratiocinatricẽ cadũt: Si quidem uirtutes eius partis quæ ſcientiam parit, cum nullam in partẽ referantur, nec electione, nec appetitu aliquo conſtant: contrà uerò, illæ quæ naſcuntur à ratiocinatrice, uidelicet ars & prudẽ tia, quoniam actionem attingunt, et electionem & appetitum habeant neceſſe eſt. Etenim tria hæc in omnibus hominum actionibus, uti antè dixi, ſeruã tur, uoluntas, quæ appetitus eſt animæ rationabi lis: conſultatio, quæ oritur ex ratiocinatione: & e lectio, quæ propoſitum conſultationis eſt. Hoc ex animi uirium ordine colligitur: quoniam res in pri mis obiectas uoluntas expedit, de ijs poſtea ra tio deliberat, earum denique potiſſimam ſequi tur electio. Quibus ex rebus non tam intelligi-

biles uirtutes proficiſcuntur, quàm morales etiam.

Virtutum intelligibilium enumeratio ex Ariſtotelis & Platonis ſententia, & earum examinatio. Cap. 6.

Explicata uirtutum in intelligentiam cadentium origine, ſingulas earum enumeremus, Platonis & Ariſtotelis ſententiam ſequuti, ut utriuſq; collatione uerum citius inueniatur. Initium autem à ſcientia ſumamus, quam primo loco ſtatuimus. Hanc definit Ariſtoteles, ſtabilem firmamq; animi perceptionem, quæ nullo modo poßit immutari: quoniam ſi rei alicuius ſcientia teneatur, id aliter eſſe non poßit, ſed neceſſariò ſit ita, ut ſcientia ipſius eſt. Eiuſdem acquirendæ modum duplicem ſtatuit, unum, cum res natura ſuapte cognoſcitur: unde ſunt communes animi notitiæ. alterum, cum rationibus demonſtrãtibus intelligitur: ex quo illæ Geometrarum demonſtrationes, quæ neceſſariam probandi uim habent. Scientiæ prætere a artem adiungit, quam habitum cum ratione efficiendi ea definit, quæ mutari poßint. Quam ipſam à ſcientia inquit differre, quòd hæc rerum eodẽ ſe modo ſemper habẽtium propria ſit, nec mutari unquam poſſit: ars contrà in rebus mutabilibus conſiſtat. Tertio loco ſtatuit prudentiam, quam habitum definit

efficiendi

efficiendi uera cum ratione, illa quæ uel bona uel mala homini ſint. Huic ſubiungit ſapientiam, quam ſcientiam perfectiſſimam eorum quæ ſciri poſſint ab homine, uocat: ideoq; rerum diuinarũ & æternarum eſſe ipſam putat. Poſtremò ponit intelligentiam, quam habitum principiorũ, ex quibus argumenta probationesq; rerũ petantur, appellat. Has omnes ille uirtutes nominat: & inter ſe diſcrepare exiſtimat tum actione, tum etiam ſubiecto. Actione quidẽ, quòd aliæ ueritatis inquiſitioni magis incũbant, quàm aliæ: ſubiecto, quia uarijs ex animi partibus oriantur, diuerſamq; agendi rationem ſequantur. Hæc igitur eſt Ariſtotelis, de uirtutibus ſub intelligentiam cadentibus ſententia. Quam Plato etiam Ariſtotele prior habuit, qui eaſdem illas adducit, adeò ut ſub Socratis perſona uirtutes ſcientias eſſe dicat: id quod ab Ariſtotele refutatur, qui non ſcientias eas eſſe, nec tamen ſine illa cõſtare poſſe, inquit. Itaq; artem, ſcientiam, intelligẽtiam, ſapientiam, prudentiæ adiungit: ita ut earundem gradus quidam ſint, aliæq; alijs firmiores exiſtant, omnes tamẽ ex æquo in intelligentiam cadant. ac Prudentiam ille, ſcientiam bonorũ & malorum definit: Artem, opinabilem rei poſitæ in actione noticiam: Scientiam, rationem ueram cogitatione conſtantem: Intelligentiam, mentis actionem in rebus intelligibilibus: Sapientiam, cognitionem diuinorum,

uinorum. Omnes ergo & Academici & Peripatetici, uirtutes has cenſent intelligibiles eſſe, eo quòd ad mentis agitationem, ueritatisq; noticiam pertineant. Et quanquam ſola uirtutibus bonitas, diſciplinis aūt ueritas ſit propoſita: tamen quatenus ueritatis eius indagationi adiūcta eſt boni cupido, uirtutes nominantur. Hæc cū ita ſint, æquū eſt, ut iudicio meliori adhibito, inquiramus, quæ nam ex illis uerè dici uirtutes debeant, & quæ contrà. neque enim omnia quæ mente comprehenduntur, uirtutis nomine appellari debent: quemadmodum nec actiones omnes hominis uirtutes ſunt. Quocirca ſcientiam, ſapientiā, artē, et intelligentiā, uirtutis eſſe partes patiemur, dummodo actionibis prudentiæ ſubſeruiant, & ad boni inueſtigationem, iudiciumq; referantur. At ſi per ſe capiantur ſolum, quatenus in rerum contemplatione uerſantur, nec ad boni quicquam aliud pertineant, uirtutes eſſe non admittam. Si enim ſint, ad bonum referri debent neceſſariò: at ſi ſola contemplatione contentæ, nullum in uſum accommodentur, quia finem uirtutum omnium non attingunt, uirtutes eſſe non poſſunt. Preterea ſi uirtutes ad uitam rectè inſtituendam, bonamq; animo affectionem generandam pertinent, ac ſuperiores illæ nihil huiuſmodi præſtant: certè nec uirtutes erunt, neque illis adiungendæ. Quo fit, ut eas prudentiæ ſolum ueluti adiuncta

quædam addamus,ſi uirtutis nomine ſint appellandæ: alioqui ab eius numero ſunt excludendæ. Nam *ut de ſingulis earundem loquamur, ſi intelligentia uirtus dicenda eſt,eaq; intelligibilis:cur non etiam eodem modo ſit ratio,uoluntas,cæteraq; animi facultates,quibus & morales & intelligibiles uirtutes perficiuntur?* Porrò *ſi ars,ſcientia, ſapientia, uirtutes eſſe deberent:quidni ſint quoque* Mathe*maticæ diſciplinæ,*Liberales *artes,* Phyſica,Prima *philoſophia, ac demum quidquid ſciri poßit?*At*qui hæc nemo unquam uirtutis nomine appellauit, non ergo in earum numero illæ ſunt habẽdæ.* Quo *nomine quatenus prudentiæ comites ſunt,uirtutes dici ſolũ debẽt,non aũt aliã ob cauſam.*Itaq; *intelligentia,ueluti rerũ quæ prudentiæ ſubijciantur, cognitrix & ſpeculatrix à nobis ſtatuetur: ſciẽtia,ut rem intellectam comprehendat, & certa ratiõe in animo imprimat:ars communem uitæ uſum ac neceßitatem ſpectet:ſapiẽtia in rerũ excellentiorum, diuinorumq; indagatione uerſetur.*Et *cum his omnibus modis ueri noticia inquiratur,nimirum arte, ſcientia,intelligentia, ſapientia:totum id quidẽ ad prudentiæ uſum referatur.*Atq; *hanc ego uerißimã de uirtutibus intelligibilibus ſententiam eſſe arbitror.*In *qua id ſolum à philoſophis alijs diſſentio, quòd eas omnes prudentiæ quaſi comites adiunxerim,non ad ſolam contemplationem retulerim.* Itẽ

quòd

quòd illi diuerſarum rerum noticiam ſapientiæ ſub iecerint: nos contrà Chriſtianæ religionis, & ueræ in Deum *pietatis cultum certam eſſe ſapientiā aſſeramus, non ſolum, quòd hæc ueriſſima ſententia ſit: ſed etiam quia nullo modo poterat ſummum bonum à nobis antea propoſitum, cum uirtutibus ad illud pertinentib. cohærere, niſi hæc ad ipſum uerè referrentur, & in actionibus illi cōuenientibus uerſarentur.* Sed *hæc generatim de uirtutibus intelligentiæ ſubiectis dicta ſint.*

De Prudentiæ officijs, & partibus. Cap. 7.

N*Vnc ad prudētiæ ipſius explicationē redeamus, quam cùm rerum agendarum rectam eſſe rationem dixerimus, in qua ſit illa animi parte collocata, dicatur. Cum uirtutes omnes in animo ſuas habeant ſedes, ex quibus oriantur: prudentia quidem in mente collocatur, quoniam ex ea recta ratio, ac uirtutum aliarum dijudicatio proficiſcitur.* Ideoq; *illa præſtantior eſt reliquis omnibus, quia locum præſtantiorem ſortita eſt, ac eius munus in actionibus aliarum uirtutum dijudicandis conſiſtit.* Vnde Solon *tanto eſſe prudentiam cæteris excellentiorem dicebat, quanto aſpectus alios corporis ſenſus ſuperet. Huius porrò uirtutis officium eſt, ut ex definitione intelligitur, quid in rebus agendis ſit rectum, quidúe contrarium, inueſtigare.*

ueſtigare.Propterea mentis ille habitus,à quo hæc ueri inquirendi ſolertia oritur,prudentia nominatur: prudensq́; ille , qui rectè uerum explorare in rebus agendis potuerit.Eius uerò ſubiectum , circa quod uerſatur,humanæ actiones ſunt:quæ cũ ſubinde uarientur,ex opinione illa ipſa naſcitur. Iam uerò finis eiuſdem eſt,ſummum illud bonum à nobis antè propoſitum,quamuis à quibuſdam eſſe honeſtas dicatur : quòd nihil fieri prudentia poßit, quin idem ad honeſtatem referatur. Quo nomine ipſi temperantiam quoq; adiungunt,quòd ea prudentiæ actiones moderetur,& ad honeſtatem dirigat.Sed honeſtatem quidẽ finem ultimum huius uirtutis uelle ſtatuere,idem eſſet,ac ſi iterum de ſummo bono diſputemus,ipſumq́; denuò tueri uelimus. Quocirca fœlicitas honeſtas non eſt , ſed præſens, ut docuimus,Dei intuitus:ipſaq́; honeſtas non finis uirtuti eſt propoſitus,ſed radix & origo eius potius.Siquidem quicquid rectè fit, ex honeſtate fit etiam,non tamen ob eam ipſam. Sed iam ad officia prudentiæ tradenda,noſtra reducatur oratio.Quoniam ergo magna rerum agendarum cautio adhibenda prudenti eſt,nemoq́; facile ingenio quantumuis acri,quid ſit agendum, dijudicare poteſt,niſi lõgo experimento,multarumq́; rerum noticia excellat:æquum eſt,ut quid prudentia requirat , exponamus. Adeò enim multa incidunt in hominum actionibus,

ctionibus,ut dubium ſæpe ſit,quid potiſſimùm agatur, aut quid cuique præferatur. Quapropter in primis diuerſarum rerum memoriam prudenti neceſſariam eſſe ducimus:ut earum cauſas,progreſſiones,& euentus cognoſcat,ſimilitudines comparet, & ex præcedentium cognitione præſentia dijudicet,futuraq́; facilè longè antè præuideat. Vnde *iuuenes,auctore* Ariſtotele, *prudentes eſſe nequeunt,ut ſenes,quia rerum uſu noticiaq́; carent.* Nec *uerò ſatis eſt , rerum multarum memoriám tenere, niſi præſentium quoq; habeas cognitionem, ut de ijs facilè deliberes.* Fruſtra *enim ibi prudentiam requiremus,ubi nulla adſit cognitio.* Ideoq; *rei ſemper propoſitæ intelligentia,conſilium,iudiciumq́; mētis antecedet,ne incognita pro cognitis capiamus: turpeq́; ſit poſtea illud dicere,quod de imperatore imprudente* Scipio *Africanus aiebat,*Non *putarā.* Quoniam *etiam prudentia iudicio mentis recto cō nexa eſt,ac in rebus potiſſimùm dubijs uerſatur,ſolertia quadam naturali eget:ut quid ſit agendū,fugiendúmue,præuideat.* Sunt *enim quidam ingenio adeò ſtolido,ut quid quaq; in re oporteat inquirere,ignorent,dubioq́; animo ſuſpenſi ſint.* Atq; *hæc animi naturalis uis non ad res facilè dijudicādas ſolum conducit,ſed etiam ad prudentiæ actiones maximè neceſſaria eſt.* Idcirco *enim quis prudens appellatur,quòd animo res agendas circumſpiciat ac peruideat.*

peruideat. Prudentia enim aſpectus animi eſt, aſpectu corporis longè præſtantior. Siquidem oculi, quod præſens eſt, ſolum cernere poſſunt: at prudentia, & rerum anteceßiones et progreſſus, & euentus nouit, multaq́; præuidet, ſine quibus uita cōſtare noſtra nequiret. Hinc demum liquet, prudentiæ uim omnem in officijs, fineq́; actionum humanarum uerſari, quòd ipſa fines, mediaq́; uirtutum aliarum inquirat. Et cum cæteris neceßitas ad res agendas ſit propoſita, ſoli tamen prudentiæ ſubiecta eſt ueritas: id eſt, ueri explorandi ratio. Quocirca tres eius partes ab Ariſtotele cōſtituuntur: una εὐβουλία, id eſt bona conſultatio: altera σύνεσις, quā perſpicientiam, ſagacitatemq́; uocamus: tertia γνώμη, id eſt ſententia, & inſtitutum agendi. Conſultatio quidem recta eſt, exacta mentis dijudicatio in rebus agendis, qua coniectando & ratiocinando uerum inquirimus. quæ non ex arte, uſúue, ſed ex ingenij naturali ui naſcitur. Hanc ſequitur Perſpicientia, quæ quid in quaq; re fieri debeat, excogitat. Vltima eſt ſententia, quæ boni atq; æqui iudicium Ariſtoteli dicitur. Itaq; quid agendum ſit, primò recta conſultatio inquirit: tum rem perſpicientia dijudicat: ſentia demum, quod utile rectumq́; ſit, ſtatuit. Ideoq́; huic adiuncta eſt animi quædā calliditas, quam δεινότητα uocāt, quæ iudicio acriori res agendas inſtituit. Quam ipſam adeò magnificit

Chriſtus

Chriſtus ſeruator noſter, ut in Euangelio *eius nos admoneat, dicens. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Non *iubet is nos ſerpentium uerſutiam imitari, aut columbarum ſtoliditatem: ſed ſolertiam & cautionem illius, ſinceritatemq́; huius.* Multum *enim refert, quo pacto quis prudens eſſe uelit: cum uitæ ſinceritas ſatis eſſe non poßit, ſed magna ſit multis in locis cautione utendum. Sæpe enim ſimulatio quædam in actione neceſſaria eſt, ac nonnunquam fingẽda ſtulticia, ut locus ac tempus poſtulat.* Quemadmodum *de* Iunio Bruto, *primo* Romanorum *conſule, qui reges exegit, legimus: qui* Delphici Apollinis *oraculum unà cum filijs* Tarquinij *adiens, inſanire ſe finxit, ut cõceſſam à* Deo *liberalitatem ſimulatione obtegeret.* Vnde *illa ducum ſtratagemata in bellis, inſidiæq́; laudantur, quòd ſine magna prudentia fieri non poſſunt.* Hoc *igitur eſt prudentiæ officium, breuiter deſcriptum. Supereſt, ut explicemus, qualénam ſit eius ſubiectum, circa quod uerſatur, cuiuſmodiue actiones, quando pro illarum uarietate prudentiæ officia mutantur: nec ſatis eſt oſtendere, humanas actiones illi ipſi ſubijci, quin actiones eædem prius diſtinguantur.* Quamobrem, *quotuplex ſit eadem, doceamus.* Triplicem *uim eſſe prudentiæ, humanarum actionum uarietas declarat.* Quoniam *enim illæ aut priuati cuiuſque hominis ſunt: aut familiares,*

res,quibus quæque utitur familia: aut ciuiles, quæ in publica hominum ſocietate uerſantur: triplex quoq; fit prudẽtia. una hominum ſingulorum, quæ cõmunis eſt omnibus: altera familiaris, quæ in priuatis actionibus familiæ cõſiſtit: tertia publica, qua in communi uitæ ſocietate uti debemus. Atq; harũ ſanè partium ſingulæ diuerſa habent officia, quæ una ratione tradi non poſſunt. Quo nomine ad tres Ethices philoſophiæ partes referuntur. nam ad Monaſticam, communis pertinet prudentia: ad Oeconomicam, familiaris: ad Politicam, ciuilis. De harum ergò ſingulis quanquã philoſophi integra uolumina ſcripſerint, tamẽ nos, ut totam huius artis rationem complectamur, aliqua de ijſdem breuiter diſſeremus: præſertim cum ex eodem prudẽtiæ fonte, duæ ex illis naſcantur, & inter ſe ſint maximè connexæ. Itaq; primùm de familiari prudentia dicamus; tum de ciuili; quando de communi ſuprà egimus.

De Oeconomia. Cap. 8.

OEconomia, ut nominis etymologia indicat, eſt ratio rectè adminiſtrandæ familiæ. Hanc putat Ariſtoteles à natura eſſe inſtitutam, quoniam naturalis ſit hominum ſocietas, qua illa eadem conſtat. Nos tamen eam rectius partim naturalem, partim uſu hominum conſtitutam eſſe putamus. Siquidem res, ex quibus eadem componi-

tur, tũ naturales, tũ ab aliquo inſtitutæ ſunt. Natura*lia quidẽ ſunt, hominis ſocietas, uxoris ac filiorũ communio, domus, & ad illos conſeruandos pertinens alimentum.* Inſtituta *uerò, ratio gubernandæ familiæ, rei familiaris modus & cultus, qui uarius apud nationes diuerſas eſt, quiq́; hominum cunctorum conſuetudine, dignitatéque ſingulorum conſtat.* Subiectum *præterea* Oeconomiæ *eſt familia, quam ueluti rudem adhuc, & à natura principio productam, œconomo tradimus excolendam.* Finis *demum eiuſdem, illam ipſam prudenter, ut cuiuſque ratio ac dignitas poſtulat, colere.* Quem *quidem tum certò adipiſcimur, cum partes omnes œconomi expleuerimus, earúmque ſimus officijs perfuncti.* Porrò partes Oeconomiæ *ſunt, ut* Ariſtoteles *uult, homo, ac res familiaris: quoniam duobus his conſtare omnem familiam neceſſe eſt.* Atque *ſub homine quidem intelligimus, patremfamiliâs, ſiue dominum, uxorem, liberos, ſeruos: ſub re autem familiari, domum, atque opes.* Quorum *omnium officia, quoniam ad œconomiæ tractationem pertinent, ordine tradenda nobis ſunt.* In pri*mis tamẽ breuem quaſi formam reip. depingamus, eiusq́; conſtitutionis originem tradamus.* Paterfa*miliâs, qui origo prima familiæ conſtituendæ eſt, à nobis fingitur is, qui ſocietatem uxoris ac liberorũ tueri ſciat, ac poßit.* Hic, *cum natura ſit animal ſo-*

tiale, ſuo ſimili neceſſariò cõiungitur, tũ ut uitæ cõmuniõe iuuetur, tũ ut ſui generis prolẽ augeat. Atq; hinc prima mariti & uxoris ſocietas conſtituitur. Ipſis uerò iã coniugio deuinctis, liberos procreari, augeriq; numerũ ſociorũ neceſſe eſt: ideoq; cõiugũ cõmunio filiorũ acceſsione augetur, ampliorq; fit familia. Quoniã etiã ex filijs iam procreatis liberali ſunt quidã ingenio, alij abiecto & ſeruili, inde quoq; ſerui ſocietas ad familiam accedit. Cõſtituta igitur illa ex diuerſis hominum formis, nimirum patrefamiliâs, (qui idem eſt dominus, ſi ſeruos habeat) uxore, filijs, ac ſeruis: neceſſe eſt itidem alimẽtum aliquod ipſis ad ſui conſeruationem ſuppetere. Quod cum nõ ſolum in uictu ac ueſtitu cõſiſtat; ſed in tecto etiam, & latibulis, in quibus à uento, pluuia, æſtu, frigoreq; ſe tueantur: domus etiam extruitur, in quam ſe recipiant uniuerſi: tum opes ad alendos domeſticos inquirũtur, ſiue ex naturæ prouentu, ut ex agricultura, piſcatura, uenatione: ſiue ex artis aliquo genere, ut fabrili, ac manuario. Atque hoc modo uniuerſa familia ex hominibus, req; familiari compoſita eſſe uidetur, ſi ordinẽ naturæ ſpectemus. Nunc quoniam ratio quædam œconomiæ tradenda eſt, quæ ad prudentiam ſpectat, ſingularum rerum, quibus illa conſtat, officia præſcribamus. Itaq; ut in omni effectione materia ad efficiendum ſubijci debet: ita in familia domum ac rem

 familiarem

familiarem tanquam ſubiectum ponimus, patrem autem familiâs & uxorem ut cauſam efficientem, liberos deniq; ac ſeruos ueluti inſtrumenta quædã. Sed nos primò de domo, deq; re familiari diſſeramus: deinceps patrisfamlliâs, cæterorumq; officia deſcribemus. Primũ *œconomiæ officium, ut auctor eſt* Ariſtoteles, *eſt, iure domum comparare, illaq; cõmodè uti poſſe. ut* Heſiodi *præcepto monemur: Primò domus, uxorq; tibi, et bos habeatur arator.* Domus *enim, ex qua domeſticæ facultatis nomen ortum eſt, quaſi receptaculum uniuerſæ familiæ ſtatuitur.* Huius *prima origo petita eſſe à natura uidetur: quoniam ob uitæ neceſſitatem, ut nidos aues, & latibula quadrupedes, ita homines domicilia conquirunt, & ædificant.* Quæ *ſanè principiò (ut erat hominum ruditas) incompta, & ad ſolam neceßitatem iuuandam extructa ſunt: poſtea uerò magis ornata, & ad amplitudinem, & ad dignitatem ædificari cœperunt. Sed nos hic non admodum magnificam & opulentam domũ œconomo extruendam præcipimus, ſed cuiuſq; dignitati & opibus congruentem: ita ut principes ac nobiles ampliori, plebeij & uulgares minori domo utantur.* Nam *cum eius finis ſit uſus habitandi, ad quem accommodatur ædificatio: ſpectanda erit dignitas cuiuſq; & commoditas, non ſumptus immoderatus, aut dedecens magnificentia. Conſideranda eſt quoq; in domo*

mo

mo extruenda,loci ſalubritas,& utilitas:tum ratio ac ſitus ædificiorum:ne uel in paluſtri,uel montoſo inſalubriq; loco domus ædificetur,néue cõmoditate ædificij careat:ut ſi horreũ,penus,culina,caminus,cubicula,cæteraq; omnia pro ratiõe facultatis deſint. Qua de re cum plura Ariſtoteles, Xenophon ac Vitruuius ediſſerant, tractationi huic ſuperſedeamus. Res uerò *familiaris,quæ domeſticorum pabulum eſt,ſecundo loco ponitur, & à familia quaſi continetur. Hæc eſſe aut naturalis,aut artificioſa,aut mixta ex utroq; genere dicitur Ariſtoteli:quoniam ijs modis familiaris res comparatur.Ac naturalis quidem omnium cõmodiſſima & optima eſt:ut agricultura,quæ principem inter omnes locum habet:uenatio,quæ ſaluberrima iucundiſſimaq; eſt:piſcatio,quæ non parum delectationis & lucri habet.Hæc eadẽ naturalis ratio rei familiaris pars eſt œconomiæ,ut ait Ariſtoteles:illa uerò artificioſa,quæ alimentum ex artis aliquo genere comparat,totaq; in lucro poſita eſt,non item,imò cauponatrix ab eo nominatur.Cuius etiam magnum eſt diſcrimen.quoniam uariæ ſunt hominum artes,quibus uitam alant. Nam earũ aliæ liberales ſunt,ut eæ quæ ingenio,non manu perficiuntur:cuiuſmodi eſt muſica, geometria, arithmetica, aliæ ſordidæ & illiberales:ut illæ,quæ corporis labore egent,quæq; ſuas operas mercede uendunt:ex qui-*

bus eæ, quæ magis ſordicie corpus inficiunt, ſordidiores alijs ſunt. Aliæ demum partim liberales, partim illiberales ſunt, quòd ingenij pariter & corporis labore indigeant: ut pictura, architectura. Cum ergo uariæ ſint hominum artes, neceßitate quadam inuentæ: ſic earum unamquãq; paterfamiliâs exercebit, ut neceſſarium ſibi alimentum conquirat, nemini autẽ noceat uel fallendo, uel plus quàm æquũ eſt exigendo. Quo fit, ut maximè improbentur ij quæſtus, qui odia hominũ cõciliant, ut fœneratorũ ac portitorũ, tum illa mercatura, quæ ab alijs, quod uendat ſtatim ipſa, mercatur: poſtremò uoluptatũ ac uitiorũ miniſtræ artes, ut coquinaria, unguẽtaria, aut demũ quæcunq; mollicie ac luxuria homines eneruãt. Quoniã ergo uariæ, uti diximus, humanæ artes ſunt, ex quib. lucrum petitur: eæq; tantũ in œconomia laudantur, quæ utiles ſint uitæ neceßitatibus, quæq; ſine alterius iniuria tractentur: nõ minor ars erit, labore parta cõſeruare, & ad tẽpus ijs uti poſſe, quam eo denuò conquirere. Expoſita domus ac rei familiaris ratione, officia itidẽ patris familiâs, ac reliquorũ, conſequenter explicãda ſunt. Primum itaq; illius munus eſt, quando is domui uelut rex quidam præſidet, ut uxorem ſibi honeſtam adiungat, eamq; nec pulchram, nec diuitem admodum, ut rectè monebat Phauorinus, ne ſuperba & moroſa ſit: nec deformem nimis & egentem, ne cõ

temptui habeatur. Siquidem honeſtã ac prudentem uxorem nanciſci, longè præſtabilius eſt, quàm pulchram & magna dote opulentam. Ipſam autem maritus ſic colet, & amabit, ut ſe ipſum: quemadmodũ Dei præcepto iubetur, ut duo ſint in carne una: & propter hanc relinquat homo patrem & matrem, & adhæreat uxori ſuæ. Hanc ueluti domeſticæ adminiſtrationis ſociam ſemper is habebit, ac participem decentis ornatus, uictus, opũ, rerumq; omniũ uſus æquè faciet. Et quando ad prolis generationem uxori debet maritus coniungi, alienos concubitus uitabit, ne illi faciat iniuriam: huic uni indulgebit, hanc amabit, nec niſi in uitæ exitu ab ea diſcedet. Quam etiam caſtè & pudicè ſeruabit, nõ ueluti carceribus incluſam, ſed liberam, et ſuo iure utentem. Vnde qui zelotypia uxores intra domum concludunt, & quaſi earum obſeruant ueſtigia, recto mariti munere abutuntur: cum durisſimam eas ſeruitutem cogant ſeruire, & eiuſmodi ſuſpicione reddant ſæpe magis impudicas. Itaque ſemper benignitas, æqualitas, amor, communis rerum uſus, honeſta inſtitutio, pudicitiæ & honoris obſeruatio in uxorem ſeruanda eſt à marito. Nam ſi aſper in eam ſit, ſi non amet illam, ſi rebus ad uictum ueſtitumq; neceſſarijs priuet, ſi prauo exemplo corrumpat, ſi impudicè cum ea uiuat, ſi nullam eius honoris pudiciciæq; rationem habet, ſed libe-

ram ac diſſolutam uitam agere permittat:nō uxorem,ſed ſcortum habere uidebitur. Iam uerò ſi liberos ex eadem ſuſceperit,iiq; ad ætatem iuuenilem peruenerint, ſumma cura educare illos pater debebit,ut honeſtè,boniſq; artibus inſtituantur. Si quidem potiſſima Reip. *pars eſt,ut homines ab infantia rectè educentur,& cum uirtute ſimul adoleſcant:ne ſi praui ſint,poſtea & ſibi et patriæ ſint pernicioſi. Qua de cauſa ipſorum inſtitutionis magnam ſibi partem uendicat reſp. cuius agitur in eo magnum negotium.Sed antè tamen quàm liberi à parentibus patriæ inſtituendi tradantur, munus eſt utriuſq; ac patris præſertim,honeſtis ut moribus iidem inſtituātur,bonis artibus ac uitæ exemplis educentur,ciuitatis ſuæ inſtituta moreſq; doceantur:ac cætera quæ ad priuatam educationē pertinent,ediſcāt.nam quæ communia ciuium uniuerſis filiis ſunt,ea ſpectant ad reip.tractationem:de quibus ſuo loco dicemus.Quando igitur hæc ſunt patrisfamiliâs officia,quatenus maritus eſt, ac pater: his proximè adiūcta ſunt illa,quæ ad rei familiaris, ac ſeruorū adminiſtrationē conducunt.* Ac *familiarem quidem rem ſic ille inſtruet,ut ſi nullas habeat poſſeſſiones,ex quarum fructibus uitā ſuſtentet, ex artis aliquo genere lucretur,quod poſſit,idq; iuſtè, & ut bonū uirum decet.*Nec *uerò omnia quæ lucretur,unà cōſumat:ſed rebus neceſſariis prius cōparatis,*

ratis, aliquid ſibi ſemper in uſus euēturos aſſeruet: formicæ exemplo, quæ in æſtate, quod edat in hyeme, recondit. Sin autem unde uiuat, habeat paterfamiliás bona ſua cōſeruare, iiſq; rectè opportuneq; uti debebit: ut cū tempus, locus, rei conditio, temporumq; neceßitas poſtulat, ſumptibus non parcat: cū uerò minimè neceſſe eſt, ſua conſeruet, nec diſsipet. Bonorum autem ipſorum habere debet delectum, ut quæ fructuoſa ſint, retineantur: quæ contraria, repudientur: niſi fortè perſonæ dignitas aliquid ad ornatum & decus poſtulet. Sed ſi augendæ opes œconomo ſint, eum fugere omnem iniuſti lucri ſpeciem oportet, nihilq; indignum perſona & dignitate faciet: cuiuſmodi eſt illud,

—Lucri bonus eſt odor ex re Qualibet —

Nec tamen eſt parui momenti res, noſſe, qua ratione augere opes honeſtè poßimus: cum ad hanc rem multum hominis induſtria ualeat, ingenium, doctrina, & experimentum. Nam aliqui inuenire facile lucri genera uaria poſſunt: alij experimento cognoſcentes, quæ regioni alicui uſui ſint, quæq; in ea deſiderentur, & quæ abundent, lucrum habent certißimum. Cuius generis eſt mercatura, quæ neceſſarias merces undiq; apportat, ac diuendit. Quæ tenuis ſi ſit, abiecta: ſi copioſa, laudanda eſſe uidetur. Atq; tota hæc opum quærendarum ratio ad artem quæſtuariam, quam uocant & χρηματιστικὴν

& κατὰ τιμὴν, pertinet: quam æconomo noſcendā, ſiue habeat unde uiuat, ſiue non habeat, præcipimus. poſtremum patrisfamiliâs officium eſt, ut ſi ſeruos habeat, iiſdem uti ſciat, rectéq; illos inſtituat. Nam cum hi quaſi actionum domeſticarum inſtrumenta ſint, tractari ab hero ita debent, ut non minus quàm filij, bonis moribus & exemplis informentur, ut humaniter tractentur: ut ſi conductitij ſint, ſalaria cōſtituta illis perſoluantur: ut uictu, ueſtituq; neceſſario nō priuētur: eoq; nō ad luxum, & liberale ornamentū, ſed ad iuuandā neceßitatē, & ut homines ſeruiles decet. Ipſorū itē ſeruorū habēda eſt diſtinctio, ut meliores liberalioresq; actionib. dignioríb. incūbant: qui uerò magis ſunt deiecti, uiliorib. Quocirca tria in ſeruis gubernādis officia domini cernūtur: primum, ut opera conuenientia illis diſtribuat, nec tamen eos aßiduo labore fatiget: ſecundum, ut pro meritis dignam cuiq; mercedem concedat: tertium, ut ipſis neceſſarium alimētum ſuppeditet. Hæc demum ſunt patrisfamiliâs officia, breuiter explicata. Nunc domeſticorum ſingulorum munera deſcribantur, initio ſumpto à matrefamiliâs. Hæc quoniam ita eſſe mariti ſocia debet, ut ei ſubijciatur, domi ſolum reſidebit, resq; domeſticas tractabit, maritus autem forenſes. Turpe enim eſſet, ſi uxor in forum prodeat, negotijsq; publicis implicetur, cōtempta rei domeſticæ cura.

Quamobrem

Quamobrem illa marito ſuo ſemper morē geret, nec difficilis in eundem ac reliquos erit, ut Socratis uxor Xantippe: tum pudicitiam religioſè ſeruabit, non ſolum ipſa ſuam, ſed ancillarum etiam. Non e-*rit etiam ſuperba: aut bonorum, quæ maritus com-pararit, prodiga: non ornatu nimio & indecenti u-tetur, ſed pro dignitate atq; opibus.* Domum *præ-terea rectè procurabit, rem familiam conſerua-bit, filios honeſtè nutriet, nec eos nutricibus tradet (quod maximè uituperandum eſt) ac demum quie-tarum rerum omnium curam habebit.* Tametſi *ea tempora nonnunquam incidunt, ut uirilium actio-num uxor particeps eſſe debeat: ut ſi abſente mari-to rem omnē procuret, nec domi ſolum deliteſcat.* Q*uam ad rem multum prudentia ualet, ac rerū di-uerſarum noticia, cū apud uarias nationes diuerſi mores ſint: & apud quoſdā negotiari fœminas, ut uiros, uulgare ſit, ut in* Hollandia Batauorum *hoc tempore. Iam uerò filij, quandiu ſub parentū pote-ſtate ſunt, ſua quoq; officia exequentur. (neq; enim nunc de ijs loquimur, qui conſtituto iam uitæ ali-quo genere, familiam ſuam habeāt)* Nam *cum tota eorū actio ſit, ut rectè inſtituantur, parentibus ſem-per ac præceptoribus obtemperabunt, diligenterq; ſtudijs ſibi cōmiſsis incumbent. Cum primis tamen ocium ac uoluptatē uitabunt, quæ cùm omnibus, tū huic ætati maximè inſidiatur, multorumq; eſt uitio-rum*

rum radix. Sed quoniam rei huius cautio à parenti bus ac præceptoribus habenda eſt, hoc tantum boni filij agent, ut ijs pareant, mandataq́; ipſorũ diligen ter obſeruent: tum ſenes, ac maiores natu, magiſtra tusq́; colant: id quod olim Romanæ *iuuentuti con ſuetũ* Valerius Maximus *ſcribit: qui eos ſeni alicui aduenięti aſſurgere, detecto capite loqui, ipſum co mitari, ſignaq́; alia honoris deferre ſolitos inquit.* Serui *porrò, qui heris iure quodã ſubiecti ſunt, id agẽt potiſſimũ, ut fideles obedięteſq́; ſint, ut impe rata faciant, ut non minus heros quàm parẽtes co lãt & amẽt, eorũ bona obſeruẽt: nihil eo ignoran te, aut etiã nolẽte, ſurripiãt.* Et *quando uictus ac ue ſtitus ſeruitutis eſt quaſi merces, eo erit ſolũ cõten tus ſeruus, nihilq́; amplius requiret.* Ac *ſi herus ſit difficilis, moroſitatem eius æquo animo patietur: ſi facilis, non idcirco magis inſoleſcet.* Quandoqui*dem naturæ quodam iure, ac* Dei *præcepto, ſeruus parêre ſemper hero debet: ut quemadmodum ille omnia neceſſaria huic præbet, ſic ille mutua opera ipſi ſubſeruiat.* Sed *hinc tamen permagna oritur dubitatio, nũquid natura ſint ſerui aliqui, qui iuris ſui facti, expertes in alterius poteſtate ſint, an om nes natura ſint liberi.* Nam Ariſtoteles, *ſeruos eſſe aliquos natura probat: quòd barbaris & incultis hominibus, qui per ſe uiuere rectè neſciant, commo dius ſit, alijs cultioribus, prudentioribuſq́; ſeruire,*

quàm

quàm ipſos liberos belluarum more uagari. Et *cum natura ſemper in rebus commoditatem requirat, hanc quoq; hominum eiuſmodi ſeruitutem naturalem eſſe concludit. Contrà ſentiunt* Plato *ac* Xenophon,*qui non natura,ſed hominum inſtituto ſeruos eſſe docent.*Nam & Plato *in ſexto libro de* Legibus,*cum de ſeruorum inſtitutiōe loquatur, bello in ſeruitutem redigi homines inquit.* Quæ *quidem ſententia & uerior,& religioni noſtræ congruētior eſt. Etenim barbaros & agreſtes cultioribus ſubijci debere,ab ijsq; gubernari, naturæ maximè congruit:idq; ſumma eorum libertas eſt.at eos propriæ libertatis expertes reddi,ita ut eorum uitæ necisq; ius habeant domini,nec humana natura permittit,nec rationi eſt conſentaneum.Seruitus enim hominum inſtitutione eſt conſtituta, ut ciuile ius etiam teſtatur:cum uidelicet bello capti, & à cæde liberati,uictoris clementia in ſeruitutem rediguntur.*Vnde *ſerui,quaſi à morte ſeruati,cum iure belli cædi poſſent,*Latinè *nominantur.*At *ſi fortè ſint nationes aliquæ barbaræ,& immanes,(quales illæ occiduæ* Noui *orbis,à noſtris hac tempeſtate exploratæ)quibus ſit commodius, alijs inſeruire,uel ob agreſtem uiuendi rationem, uel propter belluina uitia:eæ tamen bonis moribus inſtitutisq; ſunt temperandæ, & ad cultum humaniorem adducendæ, non in ſeruitutem redigendæ.* Quēadmodum *præclarè*

clarè nuper fecit Carolus V. Cæſar, qui eiſdem illis nationibus, quas ſuprà cõmemoraui, à noſtris ſubactis, & religione Chriſtiana inſtitutis, libertatem condonauit, cum prius eſſent ſeruiles. Ex quo etiã *ſequitur, neminem Chriſtianũ eſſe ſeruum debere, cum æquales ac liberi in Chriſto ſint omnes: ac ſi qui ſint uel precio, uel bello ſeruire coacti, id quidem iure gentium, ac reip. conſuetudine cõſtitutum eſt, non tamen religioni noſtræ congruit. Cum qua nihilo minus pugnat, ut alia multa, quæ propria ciuilis facultatis cum ſint, doctrinæ* Euangelicæ *nõ aduerſantur. Sed hanc nos diſputationem in præſentia miſſam faciamus.*

De Politia. Cap. 9.

TRanſeo iam ad reip. explicationem, *quæ poſtrema prudentiæ pars eſt ex iis, quas antè propoſuimus: quam cum hoc loco tradere ſtatuimus, quid ſit reſp. & quot eius partes, aut quæ earum optima, qualis ue eſſe debeat, inquiramus.* Reſpublica ab Ariſtotele *definitur, ordo magiſtratuum quem omnes ſpectata eorum, quibus communicatur, potentia, aut communi quadam ipſorum æqualitate diſtribuunt.* A Plutarcho *uerò clarius in libro de* Monarchia, *dicitur ordo & conſtitutio ciuitatis, actiones ciuium præſcribens.* Facultatis *huius nomen à ciuitate* Ciuilis *dicitur, quòd in actionibus ciuium eadẽ uerſetur. Ideo ſubiectũ illius eſt, ciuium ſo-*

um ſocietas, quã ſuſcipit adminiſtrandã: finis uerò rectè poſſe illam gubernare. Eadē prætereà reſp. familijs poſterior eſt, ſi ordinē cõſtitutionis ſpectemus, quoniã ex ſingulis earũ initio pagi multi, uicíq; ſunt cõſtituti: deinde uerò, augēte ſe hominum numero, una quædam ex ijs ciuitas coacta eſt. ut de Athenis, Theſei temporib. factũ ſcribit Plutarchus. Differt autem à familia. Reſp. ut Ariſtoteles docet. quòd in ciuitate iuris eſt æqualitas, qua cũcti ſuperiores cũ inferiorib. pariter cõtinentur, in familia uerò minimè. Ab hac Ariſtotelis ſentẽtia Plato in Politico diſſentit, qui numero ſolũ ſubiectorũ, nõ ſpecie diſtare inter ſe putat familiam, ac rempub. Sed nos hac quæſtiõe omiſſa, ad reip. deſcriptionē redeamus Et quãdo quid ea eſſet, definiuimus: reſtat ut doceamus, quæ ſint eiuſdē partes. nã originē ipſius explicare, parũ ad rē attinet. Reipublicæ ſex omnino partes à Platone Ariſtoteleq; tradũtur. Ariſtocratia, quã uiri optimates regunt: Timocratia, quã honorati: Democratia, quam populus: Oligarchia, quam pauci: Tyrannis demum, quam unus: ac Regnum, cui unus etiam, ſed adhibito prudentiorum conſilio, præſit. Hæ formæ omnes ad duo quædam genera referuntur, ad paucorum & multorum imperium. Ad paucorum quidem pertinet Oligarchia, regnum, tyrannis: ad multorum autem, ariſtocratia, timocratia, democratia. Has ergo ſex formas

mas philoſophorum pleriq; ſtatuerunt, quòd natio num omnium ſocietatem, quæ iure aliquo utatur, earundem aliqua gubernari uidebant. Ex quibus o*mnibus alij alias magis laudarunt. uelut in* Politico Plato, *regnum præ cæteris maximè commendat, ſe cundo loco ponit ariſtocratiã, tertio democratiã, poſtremo oligarchiam, ac tyrannidem multum ui tuperat.* Ariſtoteles *exceptis tribus his, regno, ariſtocratia, & illa quæ cõmuni nomine dicitur reſp. quòd mixta ex ijs ſit: cæteras reip. euerſiones appel lat, planeq; ut malas improbat.* Plutarchus *Herodo tum ſequutus, huic aſſentitur, qui muſico concen tui tres illas ab* Ariſtotele *ſelectas comparans, cæte ris anteponit omnib. Sed à pleriſq; monarchia in ter alias maximè laudatur, propter utilitatem, tran quillitatiſq; rationem: ut à* Platone, Ariſtotele, Iſo*crate,* Homero: *quem omnes in hac parte ſequuntur, dicente:*

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

Qua de re ne nos multa diſſeramus, quæ in utranq; partem firmis rationib. nituntur, ad optimæ reip. deſcriptionẽ noſtra ſe conuertat oratio. Inde *enim intelligetur, nũ monarchia, an oligarchia, cæterarumq; formis remp. adminiſtrari melius ſit.* O*ptima igitur reſpublica (quanquam diuerſa ratione à multis inſtituta eſt, qui dum eam deſcribere uoluerunt,*

luerunt,patriæ ſuæ inſtitutionem,alijs prætulere)à nobis eſt hoc loco conſtituenda ea, quæ Chriſtianæ *religioni,ac rationi maximè cõgruat.* Et *quoniã ex ciuium informatione ipſius petenda eſt deſcriptio, qualeſnam eſſe ciues optimos iudicemus, inprimis diſſeratur.* Bonũ *ciuem uirtutib. ciuilib.præditũ,ut prudentia,iuſticia,cæteriſq; omnib. eſſe uolumus: tum ut familiæ adminiſtrandæ rationem probè teneat,tum ut munerib.reip.fungi conuenienter poſſit.* Sed *ex ipſis tamen uirtutibus, quæ magis in actione conſiſtunt,ad ciuiles uiros pertinent potiſſimum,quoniam ij publicis in actionibus ſemper uerſari debent:cuiuſmodi eſt prudentia,fortitudo,iuſticia.ad quas tum* Plato,*tum cæteri ſuos ciues adhortantur,quòd ſine ijs nequeant reſpublicæ rectæ conſtare.* Atq; *ad inſtituendos quidem his uirtutibus ciues,præceptores publicos conſtitui oportebit,ut à pueritia probi & honeſti eſſe diſcant.* Nam *ſi tales homines ſunt,quales à parentibus,uel præceptorib. reipublicæ traduntur certè ſi malè rectéue ab iiſdẽ inſtituantur,eiuſmodi futuri ſunt ciues.* Quocirca *pueri bonis artib. ab ineũte ætate debẽt educari, ne ad remp.rudes & improbi accedant.* Itaq; *rectè cũ primis legere,ſcribere,intelligereq; diſcẽt,ut nõ ea ſolum quæ uernacula eorum lingua ſcribantur percipiant,ſed etiam quæ aliena: ut commodè inter ſuos contrahere, & apud exteros negociari*

poßint. Quinetiam Chriſtianam religionem, pro ut ætatis eius captus ferre poßit, addiſcent, ut pietati, diuinóque cultui à teneris aſſueſcant, religionéque ſint aliqua deuincti, ſine qua nec reſpublicæ uniuerſæ, nec humanum genus poteſt conſtare. Liberalibus præterea ſtudijs inſtituantur, ſi parentum copiæ ſuppetant, ut probitati doctrina coniungatur: ſin autem opificij genus aliquod doceantur, ut uitam ex eo ſuſtentent. Præcipuè tamen in omnibus curæ ac labori aſſuefieri iuuentus debet, ne ocio torpeſcat, & in turpes uoluptates prolabatur. Quam ad rem maximè publicæ exercitationes, ac certaminum præmia conſtituta uel à ſingulis præceptoribus, uel à repub. ipſa, conducunt, ut contentione puerorum animi magis incendantur, auidiusq; rei affectatæ ſtudium arripiant. Quarum quidem exercitationum diuerſa illis proponenda eſt ratio. nam qui liberalibus ſtudijs ſeſe dederint, liberali quoq; contentione ſunt exercendi: ut ſi præmia ſcribendorum carminum declamationúmue pueris proponantur. id quod Athenis olim in feſto Apaturiorum fiebat, hodieq; Hiſpali ſtatutis anni temporibus fit, cum publicis præmijs conſtitutis, pueri uel declamant, uel carmina ſcribunt in alicuius rei præſcriptũ argumentũ. Quòd ſi uerò alijs artium generibus iuuenes animum applicuerint, in ijs maximè exercendi ſunt, ut honoris

ac premij contentione magis excitētur, in eoq́; ex cellere nitantur. Quin ad animi robur, ac uires cor poris obfirmandas, exercendi ſunt iuuenes aliqua priuata exercitatione: ut palæſtra, gymnaſtica, ue natione, ſaltu, equorum curſu, natatione, alijſq́; hu iuſmodi artibus, & ad ocium uitandum, & ad ani mos excitandos: ut ſi bella neceſſaria ciuitati impē deāt, robuſtiores ſint ciues. Qua in re mihi iuuenū Lacedæmoniorum conſuetudo minimè probatur, qui ubicunq; obuiā alijs occurrerent, pugnis inter ſe contendebant, ut bellicoſi & audaces eſſe diſce rent: cum hoc magis ad odia & diſsidia ſeminanda inter ciues pertineat, ſi ab ineunte ætate rixari in ter ſe pueri aſſueuerint. Lōgè igitur laudabilior Ro manorū mos in iuuētute exercenda fuit, qui in cam po Martio, curſui palæſtræ, luctæ, natationi, huiuſ modiq́; alijs exercitamentis aſſuefiebant. Sed huius rei curam omnem parētibus præceptoribuſq́; dele gamus, qui arbitrio ſuo iuuenes immaturi adhuc iu dicij temperent. At quoniam non ſatis eſt per ſe do ctrina, ſine bonorū exemplorū imitatione: parētes quidem ipſi ac præceptores ſtudere debent, ut bono ſint exemplo iuuenibus: nec, dum ipſi uiuunt liberè ac diſſolutè, illorū animos corrumpāt: quia cum fa ciles ac cerei, ut poeta inquit, ſint, in uitium facilè flectuntur, & quæcunq; imitantur. Cui rei multum ciuitatis exemplum conducit, quæ bonitate ciuium

efficere probā iuuentem poteſt. Et *præter id quod ciuis unuſquiſque exemplum bonitatis per ſe præbere alijs debet, tollenda quoq; eſt de medio ciuitatis quæcūq; obſcœnitatis ſpecies, aut corruptelæ uitiorumq; occaſio: ne ad libidinem ac uoluptatē, cæteraq; uitia iuuenū animi alliciantur. cuius generis ſunt, proſtibula, cauponæ, cantiones turpes, obſcœna ſcripta, picturæ inhoneſtæ, aliaq; eiuſmodi, quæ* Plato *etiam è rep. ſua eijciebat.* Q*uarum ſanè rerū cautio diligens à magiſtratu adhibenda eſt, ne ſuos ciues corrumpi negligenter permittat. Cū uerò iuuentus iam adoleuerit, factiq; ſint ex adoleſcentib. ciues, qui diuerſas in familias fuerint diſtributi, alia erit officiorum ratio, quam ſeruare ijdem debeant.* N*am cum reip. finis ſit, tranquillè & cū pace uiuere: hoc potiſſimùm ciues agent, huicq; rei pro uirili ſtudebunt.* At *uerò cum illi uirtutib. neceſſarijsq; artibus inſtituti iam fuerint, magiſtratui libēter parēre incipiēt: ſeq; non homini, aut æquali, ſed* Deo, *qui nos omni poteſtati ſuperiori obedire iuſſit, obtemperare putabūt.* Legib. *præterea iam diu conſtitutis, uel ijs quæ denuò ferantur, ſi iuſtæ ſint, obſequentur: ſin minus, ijſdem reſiſtent ſine ſimultate aut ſeditione, ſed quietè ac ſuppliciter.* Q*uib. ſi ne ſic quidē refragari poſſint, æquo animo uim ferēt, quoad ab alio meliori magiſtratu tanquā ab onere ſibi impoſito leuētur.* Q*uid, quod religionē, ac publicas*

blicas

blicas ceremonias, ſolenniaq́;, piè & ſanctè colere debebunt: quando nec per ſe ſinguli ciues conſtare, nec reſp. uniuerſa ſine pietate poteſt? Porrò ciues, tanquam cognatos & affines ſibi charos habebit unuſquiſq;, nullumq́; uel iniuria laceßitus uiolabit; ne ſeditioſus & iniuſtus ſit. Nec uerò publicis reip. muneribus ſe quiſquam immiſcebit, niſi aut adhibitus, aut in magiſtratū aliquem aſcitus, ne ſe alijs anteponere, æquabilitatéq; nō ſeruare uideatur. Iā uerò magiſtratum quaſi parentes uenerari ac colere oportet, ac pro ijs mortem, ſi opus ſit, obire: uectigalia ijs pendere, Chriſti etiam præcepto, qui quod Cæſaris, Cæſari reddendum iußit: patriam deniq; chariorem, quàm uitam habere. Sed in his tamen officijs gradus quidam ſeruandi ſunt: nec omnes æquè aut colemus, aut uenerabimur. Nam Deo in primis parendum eſt, tum patriæ ac magiſtratui, tum parentibus & cognatis, poſtremoq; ciuib. tanquam amplæ cuiuſdam familiæ conſanguineis ſua ſunt officia præſtanda. At ſi qui ſint ciuitate peregrini, qui uel negotiandi, uel uiſendæ eius cauſa inter ciues uerſentur, ſua tantum agent negotia, nec alienis implicati, æqualiter inter cæteros uiuent, non ſeſe nimium efferentes, nec abijcientes rurſum. Præterea cum reſp. omnis ſubditis & præfectis cōſtet, quorum alteri imperio alterorū obtēperent: ac de ciuibus, qui ſubiecti ſunt, hactenus diximus:

 ſequitur,

ſequitur,ut de magiſtratu eiuſq; officijs diſſeramus. Huius ergo proprium munus eſt, ut prudenter ſapienterq; ſe gerat,ut remp.rectè poßit adminiſtrare:quandoquidem conſilijs,ac nõ ui uti debet. Vnde Plato, *cum beatas fore illas reſpublicas dicebat,in quibus principes eſſent philoſophi,aut philoſophi principes:non ſtudijs philoſophiæ deditos magiſtratus poſtulabat,ſed prudentes ac ſapiẽtes.* Quin *leges ac ciuitatis inſtituta illi pro loco,tempore,occaſione obſeruari iubebunt,leges ferent, uel latas antiquabunt:atq; ipſi primùm ſanctè,& cum æquitate tuebuntur,ut firmiora alijs tradantur.* Quemadmodum *de* Zaleuco Locrenſi *fertur,qui cum legem adulterij à ſe latã, uiolatamq; à filio uindicare uellet,nec populi uniuerſi precib.exorari poſſet, ſibi unum,filio alterum oculum eruit,ut exemplo alijs firmandarũ legum eſſet.* Dignitatẽ *uerò,ac decorum ſuo muneri cõgruens magiſtratus ſeruabit: memineritq; non ſuam,ſed ciuitatis perſonam ſe gerere,qua nihil indignum cõmittendum ei eſt.* Erunt *etiam moderati probiq; uiri,nõ arrogantes ac difficiles,ne cum honoris gradu comitatẽ humanitatemq; amittere uideantur.* Cupiditatẽ *uerò & auaritiam in exigendis uectigalibus,uel in ambitu cum primis uitabunt:cum nihil ab homine publico uitioſius ac turpius fieri poßit.* In iure item *dicundo,nihil amore aut beneuolentia cuiuſquam moueantur,*

non

non in alios aſperè ac rigidè, in alios manſuetè, plus quàm æquum ſit, ſeſe gerant: ſed quando publicam, uti diximus personam ſuſtinent, non propriæ, ſed communi omnium utilitati proſpicient: ne partem ciuitatis unam curare, altera neglecta, uideantur. Itaq; dum reip. curam, quam ipſorum fidei commiſſam putare debent, habent; uigilantes ac ſoliciti ſint & quaſi ouium paſtores (ut Plato inquit) ouibus, ita ipſi ſuo ciuiũ gregi conſulant, neceſſariaq; ſuppeditent, ut annonã in egeſtate, quam Romanorum ac noſtrorum Hiſpalenſiũ exẽplo, ex regionibus alijs publico ſumptu coemere, aut in magna fertilitate fructuũ ſuorum recondere, ac ſeruare in tempora neceſſaria debent. Iam uerò pauperes, mẽdicosq; eodem modo curare oportet, cum erga hos benignitas humanitasq; præcepto Dei ſit exercenda. Hoſpites uerò humaniter accipiendi ſunt, ut collati in hos officij gratitudo ad alias reſpublicas perueniat. Quinetiam operum, & publicorum ædificiorum habere curam magiſtratus debebit, ut ciues ſplendidè, commodeq; habitent, nec eorum negligentia incompta inornataq; ſit ciuitas. Quam ad rem ex publico ærario ſumptus neceſſarios adhibebunt, curaq; iſtorum inferioribus alijs magiſtratibus demandabitur, ut nulli parti reip. non conſulatur. Cuius rei exemplo, Romanorum ac Græcorum magiſtratus eſſe poſſunt, qui rerum diuerſarũ

munera diuerſis diſtribuebant, nec cura omnium agendorum ad unum referretur. Nec uerò domeſticis reip. negotijs conſulendum modò eſt, ſed externis etiam, ac bellicis (quibus eſt longè antè prouidendum) ut cum neceßitas poſtulet, ciues ad iniuriam repellendam robuſtiores ſint. Ac ſi fortè reip. hoſtes immineant, contra quos bellum ſuſcipere ſit neceſſe, creandi ſunt duces, militaresq; alij magiſtratus, non gratia aut fauore ſenatus, principisue: ſed eorum cuiuſq; uirtutis ac prudētiæ ratione prius habita. In militum autem delectu habendo, robuſti ab infirmis, probiq; ab improbis ſegregādi ſunt: ut fortiter, humaniterq; bellū quantū fieri poßit, geratur: neq; ad illud truces crudelesq; homines, quaſi ad generis humani perniciē, cōducantur. His iam delectis, & ſacramento adactis, ſtatuta ſtipendia ſemper tribuantur, itemq; præmia pro cuiuſq; rebus geſtis concedantur, prout militaris diſciplina exigit. Quæ omnia ut breui oratione complectar, tria demū reip. munera, tresq; perſonas iiſdem accōmodatas Platonis ſententia eſſe cōcludimus: primò, ut reſp. prudenter adminiſtretur: ſecūdò, ut fortiter ab hoſtium iniuria defendatur: tertiò, ut utiliū artium peritis abundet. Primo quidē munere principes, magiſtratusq; fungentur: ſecūdo duces, ac milites: tertio artifices omnes, ſiue liberalium, ſiue illiberalium artium. Quæ eadem hominum genera ita

eſſe

eſſe inter ſe deuincta debent,ut ad unã reip. cõcordiã referãtur; & ueluti tres illæ animi uires, ratio, iracũdia, cupiditas, ab una animi eſſentia dimanãt, ita eadem unum reip. corpus efficiant. Sed cũ hæc à nobis de ciuibus, magiſtratuq; hactenus dicta ſint, nec quæ ſit optima magiſtratus forma dixerimus, reſtat inquirendũ, nũ rex, an ſenatus remp. rectius adminiſtrare poßit: id quod ad ſex illarũ reip. formarũ cõparationẽ pertinet. Nã eſſe quidẽ hæc propria cuiuſq; magiſtratus officia, quæ præſcripſimus, dubiũ nõ eſt eſſe aũt debere uel regẽ, uel ſenatũ, uel populũ, eũ qui huius rei curã gerat, id ad huc in dubitationem cadit. Itaq; quoniam nationum aliæ barbaræ & abiectæ ſunt, aliæq; cultæ & erecto animo, illæ quidẽ unius imperio gubernari plerũq; malũt, hæ cõtrà multorũ. Cuius rei cauſa eſt, quòd qui barbari & agreſtes ſunt, propter ingenij ſtupiditatem cuiuſq; imperio facile ducuntur, nec iniuria illata tantopere commouentur: ac ſi eam pertulerint admiratione ac metu illius, cui parent, referre ipſam non audent. Contrà, cultiores homines nemini parêre uolunt, propter inſitam quandam principatus cupiditatem: quod eorum unuſquiſq; magiſtratu ſe non minus dignum, quàm alium quẽcunq; putat eſſe. Huius rei argumẽto Romani eſſe, ac Græci poſſunt: quorum utriq; reip. adminiſtratione contenti, regiã poteſtatẽ repudiarunt: & à ſe

conſtantiſſimè repulere. At Indi, Perſæ, Aegyptij uſq; adeò reges ſuos coluere, ut honores ijs diuinos ſæpe detulerint. Qua ex re conſtat, eandem eſſe omnibus rationem gubernandi propoſitã, & ijs qui unius, et illis qui multorũ imperio delectãtur. Nam & rex non ſuo, ſed prudentiorum etiã cõſilio debet cuncta adminiſtrare: ut de Lycurgo Lacedæmoniorum rege Plato refert, qui regio imperio Ephoros adiunxit, ne regnum in tyrannidem mutaretur. Senatus etiã, atq; adeò multorũ magiſtratuũ cœtus, unius debet rationem habere, dũ concordi, unitoq; animo remp. temperet. Vnde qui contrà fecerint, ſuaq; cõmoda tantummodo curauerint, publicis neglectis ij tyrãni, quàm gubernatores, potius appellandi ſunt ſiue ſint reges, ſiue ſenatus, ſiue deniq; populus. Nã & Athenis, duce Piſiſtrato, triginta tyrãni fuere: & eiuſdẽ ciuitatis populus, ut Xenophon auctor eſt, dum ſuis tantum commodis ſtudebat, ac nobilitatem inſectabatur, non minus exercebat tyrannidem, quàm Syracuſis Dionyſius, aut Romæ Iulius Cæſar. Quamobrem ſua tantũ cõmoda quærit, non communitatis, qui dura ſuis uectigalia imponit, qui gratia, ambitione, fauore, auaritia, regnandi cupiditate, ſimulatione uirtutis ac pietatis præeſt reip. leges condit aut tollit etiam, honores ex arbitrio cuiq; tribuit, iudicia fert, bella alijs infert, cuncta demum ad ſe ipſum refert: is tyrannus,

is reip. euerſor, is Dionyſio, Hierone, Phalaride, Nerone, cæteriſq; huiuſmodi tyrannis flagitioſior eſt. Ex quo intelligitur, quantum ad optimam reip. conſtitutionem magiſtratus bonitas & prudentia ualeat, cum nõ in numero gubernatorum reip. perfectiſſima forma ponatur, ſed in modo ſolum gubernandi. Ideo Socrates apud Xenophontem hoc eſſe diſcriminis inter tyrannidem ac regnum aiebat, quòd illa ſit nolentium, ac repugnantium: hoc autem uolentium ſua ſponte alicui parêre. Hæc cum ita ſint de reip. eiuſq; perſonis expoſita: id demum tractationi huic deeſſe uidetur, ut ſitus ciuitatis, lociq; opportunitas, ad ſanitatem, commoditatemq; ciuium deſcribatur. Nam ut œconomo ædificãdæ domus præcipuam curam mandauimus: ita quoq; magiſtratui ciuitatis ſitus erit perſpiciendus, ut nõ tam optimis conſilijs commoditati publicæ cõſulatur, quàm naturæ etiam obſeruatione. In primis igitur ciuitas, quæ commodè ornateq; habitanda eſt, in plano, & undiquaq; aperto, aut in ædito, molliterq; decliui, accliuiue loco ædificari debet, ne ſi montibus undiq; cingatur, ſoli, ac libero aeri minimè expoſita, multis pateat morbis: néue ſi in præcipiti ac montoſo loco ſit ſita, difficile incolatur. Accedet etiam ad eius cõmoditatem, ut prope flumina, uel mare conſtituatur: inter lacus uerò, ac loca paluſtria nunquam, tum ad importandorum & exportan-

exportandorum commoditatem,tum ut inundatione nonnunquam à ſordibus expurgetur, ne ſi frequentibus paludum exhalationibus uitietur aer, peſtilens locus ſit. Præter *ipſum autem ciuitatis ſitum habenda eſt etiam ratio ædificiorum : ut mœnium,platearum,uicorum,templorum,aquæductuum,fontiũ,hortorum,portarum,turrium, foſſarũ, uiarum,cæterorumq́; omnium: ut non ſolum ad ciuium cõmoditatem,munitionemq́; urbis extructa hæc ſint,ſed ad ornatum etiam, & magnificẽtiam.* Agri *præterea fertilitas,amœnitasq́; conſideranda eſt:quãdo ex eo eſt & annona ciuibus,& iucũditas petenda.* Tum *uillarum,ac ſuburbiorum,totiusq́; regionis circumiacentis elegãtiã adhibebitur : cum hæc ad urbis opulentiã maximè pertineant.* Quantum *ergo horum omnium ad optimæ ciuitatis conſtitutionem obſeruatio ualet,ij qui* Athenas, & Alexãdriam,*cæterasq́; bene fundatas ciuitates coluere,indicant,cum ij alijs ſalubrius cõmodiusq́; multo habitent.* Idq́; *in noſtra ciuitate* Hiſpali *perſpici poterit,quæ* Beti *flumine ab occaſu circũdata, ad meridiem ſpectat:atq; in latiſſima quadam, apertaq́; planicie poſita, tenuiſſimo aere utitur.* In *qua præter gentis humanitatem,ingeniorum præſtantiam,ædificiorum amplitudinem et elegantiam,hominum frequentiam, mercaturæ copiam,nobilitatis ſplendorem,portus cõmoditatẽ,hortorum amœnitatem,*

nitatem, abundantiamq́; rerum omnium quæ poſſint deſiderari, fertilitate quidem agrorum, amœnitateq́;, omnes Hiſpaniæ urbes antecedit. Verùm hæc ſatis ad ciuilis facultatis deſcriptionē ſint: nūc ad reliquam de Prudentia tractationem ueniamus.

De uitijs prudentiæ contrarijs. Cap. 10.

POſt explicatas prudentiæ partes, & earum officia, conſequens eſt, ut de uitijs illi contrarijs dicamus: quod idem in omnibus uirtutibus eſt conſiderandum, ut à bonis mala diſtinguantur. Itaque ut prudentiam rectam animi in rebus agendis ſolertiam definiuimus: ita illius contrarium uitiū, imprudentiam apellabimus, eamq́; ignauiam & inſcitiam in agendis definiemus. Et quemadmodum uirtutes omnes iudicio prudentiæ ſubijciuntur, nullaq́; recta actio poteſt illa uacare: ſic uitiorum radix eſt imprudentia. Vnde Solomon: Vir, inquit, imprudens mala ſibi defodit, & in labijs ſuis ignem theſaurizat. Siue enim quis ſit iniuſtus, ſiue intemperans, imprudens cum primis erit: quandoquidem recta ratio, ex qua uirtutes naſcuntur, in eo nulla eſt, cui nec inſit prudentia. Num enim cenſemus L. Catilinam remp prodere tentantē, prudētem fuiſſe, cum eiuſdem conatus & conſilia detecta à Cicerone fuerint? Num eo prudentiorem Cæſarem, dum patriæ libertatem euertere uoluit, cum à Bruto poſtea,

ſtea, & Caßio, cæteriſq; fuerit interfectus? certè nullo modo. Rectè igitur Stoici ſtultos & imprudẽtes inſanos eſſe dicebant, quòd eorum mens prudentia conſilioq; uacans, ab inſanientibus nihil differret. Quod ipſum in Alcibiade Plato cõfirmans, imprudentiam uocat inſaniam, animiq; morbum acerrimũ. Hinc fit, ut temeritas, errorq; animi imprudentiam ſequantur: quòd homo imprudens ueluti caſu quodam feratur, dum quid agendum ſit, ignorat: uel ſi egerit, nullo utatur conſilio. Niſi fortè prudentem Scipionem Africanum fuiſſe putemus, cum duabus tantum quinqueremibus ad Syphacem traijcere, ſuamq; hoſtibus ac reip. ſalutem cõmittere auſus eſt? Quæ quidem temeritas cum alijs proſperè ſuccedere, alijs uerò aduerſè ſoleat, hinc deã Fortunã faciunt, illã cunctis dominari dicunt: huic opes, honores, dignitates, imperia, bona demũ omnia tribuũt, cũ imprudentiã ſuã accuſare potius debuiſſent, nec rerũ euentũ falſo numini attribuere. Rectius ergo Iuuenalis in Satyra:

Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus Fortuna Deam, cœloq; locamus.

Porrò cum imprudentia ex inertia quadam animi, & inſcitia circa res agẽdas naſcatur, ſuas quoq; partes habet: quemadmodum contraria eius uirtus. Quarum prima eſt, animi cõcitatio uel ex affectu, uel ex ignoratione profecta, quæ nullum rectæ rationi

tioni locum relinquit Ex quo maximi errores,peſſimeq; facta naſcuntur,quorum poſtea quieti agimus pœnitentiam. Nam ſi ut eſt in fabulis, uxoris querelis Theſeus minimè paruiſſet,ſed quieto animo rem melius conſideraſſet antequam Hippolytũ occidi à Neptuno peteret,nec filij orbitatem lugeret,nec in Phædram cõmoueretur. Vitanda igitur eſt eiuſmodi animi concitatio,ne ut equi effrenati, præcipites agamur ſine conſilio,ſiue iudicio ac ratione.Quod facilè cõſequemur,ſi cũ iudicio ac deliberatione cũcta egerimus,tardiq; ſemper in deliberando agẽdoq; ſimus.Vt enim Sapiens inquit:Sine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit.Concitationi animi contraria eſt negligentia: quæ quamuis non adeò ſit turbulenda,nõ minus uitioſa eſt,quàm illa,cum utrunq; ſecum errorẽ afferat magnum,ſiue multum in cõſultando celeres,ſiue tardi in deliberando ſimus.Vt ſi quis liberos moribus corruptiſsimis uiuere,ſi uxorem eſſe adulteram,ſi ſeruos diſſolutos, ſi rem totam familiarem perire uidens,ſegnitia nihil deliberet, nihilq; agat: is quidem non minus peccat,quàm ſi præceps cõſilij ſit in rebus agendis. Negligentia hæc,præterquàm quòd eſt uitium uel maximum,ſumma ſecum adfert incõmoda:quæ cum euenerint, uitare homines nequeunt Sæpe enim ducum inertia deletos exercitus,expugnatas ciuitates, aliaq; incommoda

non pauciora contigiſſe alijs accepimus: quæ non ipſos ſolum qui periere, in miſeram calamitatem adduxerunt, ſed totas etiam reſpublicas. Hannibal *Carthaginenſium dux, is qui* Romanos *magnis cladibus afflixit, ſi deleto eorum exercitu, trementeq́; Italia,* Romam, *cui erat proximus, inuaſiſſet, nec eius oppugnandæ occaſionem diſtuliſſet, & ditioni ſuæ illam ſubieciſſet, nec ex Italia fuiſſet à S. cipiõe turpiter auocatus.* Feſtinanda *igitur ſunt bona conſilia, nec torpore animi differenda: ne elapſa occaſione, nihil agere poſtea ualeamus.* Præter *has duas imprudentiæ partes, quas cõmemorauimus, ſunt et aliæ, quæ cum habeant prudentiæ ſimilitudinem, uitioſæ tamen ſunt, & à uiro probo uitandæ, quãdo obſcura mala nocere grauius ſolent: & hoc ipſum prudentiæ munus eſt, uera bona à fictis dijudicare poſſe.* Huius *generis eſt uerſutia, ſiue aſtutia quæ cum ſolerter etiam quid ſit agendum perſpiciat, id tamen ob finẽ malum agit: nec ueritatem, quæ prudentiæ ſubiecta eſt, ſed errorem ſimulatum præ ſe fert.* Hanc *ipſam prudentiam carnis Chriſtus appellat, ac* Paulus *apoſtolus fugiendam eſſe præcipit, ad Corinthios ſcribens his uerbus:* Abijciamus *occulta dedecoris, & omnem immundiciam, nõ ambulantes in aſtutia.* Eſt *tamen recta quædã & honeſta calliditas, quæ quoniam ad finem bonum refertur, laudanda ſummopere eſt: non quòd ea uti ſemper*

per

per debeamus,ſed quòd aliquãdo eiuſmodi res inci dant,in quib. illa ſit maximè neceſſaria. Qua Anaximenem philoſophum Alexandri præceptorẽ uſum fuiſſe dicunt: qui cum ad eius patriam Lãpſacum diruendam idem ille Alexãder properaret, uideretq; ipſum ad ſe pro patria oraturum accedere, iuraretq; prius nihil ſe facturum eorũ quæ Anaximenes peteret, Oro te (inquit) Rex, ut Lampſacum uelis diruere. Hac ſubita calliditate Alexander philoſophi patriam ab exitio liberauit. Nec uerò hæc ipſa calliditas bona ſemper eſt, cum ad bonum malúmue finem referri poßit: ſed tum demum bona erit, cum finis eius bonus ſit. Vt in ſuperiori exẽplo cõprobauimus: & Rebecca Iacobi & Eſau mater oſtendit, cum illum pro hoc coram Iſaac patre ſupposuit, ut eius benedictionẽ, quæ fratri maiori natu debebatur, acciperet. Hæ igitur ſunt imprudentiæ partes, & actiones: quas corrigere facilè poterimus, ſi ad prudentiæ præcepta perfugiamus.

De iuſticiæ toto genere. Cap. II.

PRudentiæ proxima eſt iuſticia, cuius multæ quoque ſunt partes, uariáque officia, quæ ad hominum ſocietatem, uitæq; communionem pertinent, de quibus ordine dicemus: ſed quid ſit eadem, primò definiamus. Iuſticiam Plato definit, animi ſimilitudinem ad ſeipſum, cum uidelicet facultates e-

ius omnes rationi rectæ conſentiunt, rectúmque ordinem ſeruant. Ariſtoteles affectionem animi eam uocat, qua homines apti ſint ad res iuſtas agendas: quáque & iuſtè agant, & agere cupiant. Iuriſconſulti *conſtantem ac perpetuam uoluntatem tribuendi ius ſuum cuique, eandem definiunt.* Nos de*mum cum* Cicerone *iuſticiam dicimus eſſe habitū, qui communis utilitatis ratione ſeruata, quod ſuum eſt cuique tribuit.* Huius *ſedes eſt, non aliqua certa animi facultas, ut aliarum uirtutum: nec in uoluntate tantum ponitur, ut falſò quidam exiſtimant: ſed in toto ipſo animo, ad quem æquè pertinet.* Ideoq; Plato, *conſenſionem omnium animi uirium iuſticiam eſſe dicit.* Nam *quemadmodum corporis æquabilis conſtitutio ſanitatem efficit, ac conſeruat: ſic animi ſedati motus, conſenſusq; affectuum, cum ratione iuſticiam efficiunt.* Quam *ob cauſam* Plato *idem nunc uirtutem uniuerſam eam uocat, nunc perfectionem uirtutum, nunc animi tranquillitatē.* Itaq; *ut prudentiam uirtutibus omnibus cōiungi debere diximus, ſic quoq; de iuſticia putandū eſt, quæ eo maximè quòd ad bonum commune refertur, uirtus uniuerſa dici poteſt. ideo ſubiectum illius humanæ actiones ſunt, quæcunq; ad bonum cōmune, uel priuatum referuntur: finis uerò idem, qui uirtutum aliarum, id eſt ſummum bonum.* Eadem *præterea non hominum manſuetudine aut experimento cō-*

paratur,

paratur,ſed eius uis nobis natura eſt ingenita.Nam ſi ius,ut philoſophi pleriq; fatentur,naturale eſt:et iuſticiæ uis etiã,quæ illi coniungitur,natura nobis inerit.Ac ſi homo,ut ait Ariſtoteles,ſociale animal eſt,ſocietasq; omnis natura conſtat,iureq; continetur:profectò & ius,& iuſticia,naturalia erunt.Cuius ſanè ſententiæ auctores ſunt principes philoſophorum;Plato & Ariſtoteles,itemq; M.Tullius in libris de Legibus.At cum nos hic iuſticiam naturalem eſſe contendimus,minimè putamus,habitũ uirtutis ipſum nobis à natura tribui,ſed eiuſdem radicem,ac facultatem.Ex quo liquet,ut duplici ratione conſtet iuſticia,ſi M.Tullio credimus,natura et conſuetudine.Natura quidẽ,eius principium,quòd tota illius actio rectæ rationis iudicio,Deiq; præcepto commiſſa eſt:conſuetudine uerò, quòd hæc eadem naturæ uis uſu confirmetur, & conſuetudine humanæ ſocietatis.Hoc ita ſtatuto , quod ad iuſticiæ originem ſpectat,dubium adhuc eſt,nunquid in mediocritate aliqua ſit poſita,quemadmodum morales uirtutes:an contrà,ut prudentia,cæteræq; intelligibiles,eadem non egeat.Qua in re,ut Ariſtotelis ſententiam ; quæ nobis in pleriſque maximè probatur,ſequamur , eſſe aliquod iuſticiæ medium non quidem rationis,ut in fortitudine ac temperantia,ſed reiipſius,doceamus.Mediocritas in alijs uirtutibus,ut deinceps explicabimus,intelligitur,cum

rationi affectus obtemperant, eiusq; cõſilio à uitioſorum extremorum utroque abeſſe uidentur. At uerò iuſticiæ uera eſt mediocritas, ſi ius, à quo ipſa deriuatur ſeruetur. Iusq; idem non cogitatione, ſed re uera inter homines exiſtit. Siquidem hoc reſpublicas, hoc imperia, hoc cœtus hominum, ſocietatesq; omnes conſeruat. In quo tuendo cum iuſticia uerſetur, illudq; uerè ſit inter homines, idem eſſe mediũ illius relinquitur. Nam ut fortitudinis iræ mediocritas, temperantiæ moderata uoluptas ſubijcitur tanquam materia: ita iuſticiæ ius ipſum, quod eius eſt, uti diximus, medium. Sed quánam, rogabis, ratione ius medium eſſe iuſticiæ ſtatuis? Certè quia iuſticiæ munus eſt, æqualitatem ciuium ſeruare, hanc autem ius parit: proindeq; ut illa eſt medium, ita quoque hoc idem. Quemadmodum in commercijs negotiationeq; ciuium mutua fit, ut qui calceos conficit, eos pro frumento commutet, uel ipſorum loco pecunia tanquam rei emptæ precio coemat. Itemq; ut magiſtratus ſontes ac bene de republica meritos dignis præmijs aut ſupplicio afficit, ius diſtribuendi exercetur. Itaq; duplex inde ius inter homines conſtituitur, unum commutandi, alterum diſtribuendi: quòd iuſticiam uel ciues in contrahendo inter ſe, uel magiſtratus in iure cuiq; diſtribuendo pro meritis tueri debeant. Et cum his modis æqualitas ciuilis ſocietatis cõſeruetur, hocq; ipſum iuris

ſui

ſui fiat: perſpcuum eſt ſanè, iuſticiam eo uti quaſi medio actionum omnium. Atque etiam ut ius ipſum uel naturale, uel legitimum eſt, ita quoque iuſticia in eaſdem partes diuiditur. Naturale quidem ius eſt illud, quod à natura eſt inſitum hominibus: ut Deum colere, neminem lædere. Legitimum uerò, quod nationum diuerſarum legibus continetur: ut Romanorum Græcorumq́; iura. Eodē item modo uel naturalis eſt iuſticia, uel legitima etiam, ut nos antea diſtinximus. Ex quibus omnibus intelligitur, & iuſticiæ mediocritatem ius eſſe, & illam ipſam uariari pro eiuſdem iuris formis & idem in hominum æqualitate ſeruanda uerſari, quemadmodum iuſticiam ipſam. Vnde uitium iuſticiæ contrarium, nō eſt inter duo uitia extrema maioris aut minoris iuris: ſed in iniuria, quæ iuri contraria eſt. Nā ut iniuria humanæ ſocietatis æqualitatem perturbat, idq́; uitiū iuri eſt contrarium: ita iniuſticia, quæ ex illa naſcitur, iuſticiæ aduerſatur. Sed hæc ſatis de uirtutis huius mediocritate dicta ſunt.

De iuſticiæ diuiſione, ac partibus. Cap. 12.

EXplicato iuſticiæ uniuerſo genere, nunc de partibus illius dicamus. quanquam enim una ſit iuſtè agendi ratio, ex qua illa oritur: tamen ut cæterarum uirtutum actiones uariantur, ita etiam iuſticiæ. Quo fit, ut tota illius ratio uel in debiti

reddendi ratione, uel in humanæ ſocietatis æqualitate ſeruanda conſiſtat: indéque duæ iuſticiæ partes naſcuntur: una, quæ communis appellatur iuſticia, quòd ad bonum commune ſpectet: altera, quæ priuata, quòd ad peculiare referatur. Ac com*munis quidem illa in duas alias partes diſtribuitur: & in eam quæ leges continet, quam* Legalem ap*pellant, & in ἐπιείκειαν, id eſt æquitatem.* Rurſum *priuata in diſtributricem & commutatricem iuſticiam diuiditur.* Itaque *una & eadem iuſticia, prout uarijs in rebus cernitur, quadripartita fit: quemadmodum una hominis conſtitutio corporea quatuor ex humoribus, flaua bili, atra pituita, ſanguineq́; componitur.* Et *ut in eodem corpore, ſi eorundem humorum æqualitas ſeruetur, ſanitas eſt: ſi uerò perturbetur, morbus: ita ſi affectus rationem commoueant, iniuſticia: ſi ei pareant, iuſticia ſeruatur.* Sed *nos totam hanc clarius doceamus, partesq́; ſingulas iuſticiæ perſequamur. Iuſticia communis, quam primo loco ſtatuimus, habitus eſt, quo homines ad iuſtè agendum propenſi ſunt, iuſteq́; agunt, idq́; animo libenti.* Hæc *cum ad bonum commune pertineat, ad alios potius, quàm ad nos ipſos diffunditur: ideoq́; uirtus uniuerſa nominatur. non quod uirtutes omnes ſint iuſticiæ, ſed quia uirtus eadem latiſſimè pateat, & ad bonũ cõmune referatur, cuius participes reliquæ omnes*

ſunt.

ſunt. Huius prima pars eſt ea quæ Legalis appellatur: quoniam iuſticiæ cōmunis officiū eſt, leges & iura cuiuſq; ſocietatis conſeruare. Vnde iuſtos uocamus eos qui ſecundum leges uiuant. Legem uerò definimus, rationē ſummam inſitam in natura, quæ iubeat ea quæ facienda ſunt, prohibeatq; contraria. Ergo iuſticia eadem Legalis, inſtitutorum, ſcriptarumq; legum obſeruatio eſt: quæ quamuis à natura ſit orta, conſuetudine tamen cōparatur præcipuè: quia uariæ ſunt apud homines leges, diuerſaq; inſtituta, in quorum obſeruatione diuerſa eſt eiuſdē iuſticiæ ratio habenda. Quamobrem certam eius rationē uelle tradere hac in parte minimè poſſumus, cū diuerſarū legū una eſſe ſcientia nequeat, cumq; rei huius tractatio ad iuriſcōſultos pertineat. Id tātum ad eiuſdem Legalis officiū pertinet, ut leges à maiorib. principibusq; latas obſeruemus: quādo in earum obtemperatione iuſticia, in uiolatiōe iniuſticia conſiſtit. Nunc ad alteram cōmunis iuſticiæ partem, uidelicet æquitatē ueniamus. Eadē aūt tametſi legali adiūcta ſit, adeò ut ad æquitatē leges omnes referantur: tamen longius patet quā illa: quoniam ad iudicium rectum rationis, præter legem ipſam ſcriptam, confugit. Nam ſi lex iubeat homicidā capite punire, & tyrannū quis interfecerit, æquitas quidem in hoc legis uim eſſe remittendā præcipit. Quo nomine clemētia illi coniungitur, ut legis ſe-

ueritatẽ moderetur, nec exactè omnia quæ ſcripta ſint, exequatur. Sed hæc de cõmuni iuſticia, et illius partibus, dicta ſint. Iam uerò priuata, quæ circa bonum peculiare uerſatur, ſic ſolet definiri, ut habitus bonus ſit, quo ad aliquid iuſtè agendum feramur. Eadem à ſuperiori ſolum hoc diſtat, quòd priuatã cuiuſq; utilitatem ſpectet: unaq; ſit ex ijs quatuor uirtutibus, quæ uulgò cardinales dicuntur; contrà quàm communis, quæ uirtutem uniuerſam ſpectat. Huius duæ partes cùm ſint, uti diximus, una commutatrix, altera diſtributrix. Commutatrix quidẽ eſt ea, quæ ordinem & æqualitatẽ diſtribuendi cõmodi, incommodíue, cuiq; pro cõditione oſtendit. Quæ cũ non in honorib. tantũmodo diſtribuẽdis, ſed in pœnis etiam irrogandis uerſetur, magiſtratuum ac principum propria eſt: ad quos ſpectat potiſſimùm, multitudinis æqualitatem conſeruare, pari iure omnes retinere, boniſq; præmia, malis ſupplicia conuenientia diſtribuere. Itaq; tota illius uis in æqualitate ſeruãda conſiſtit: ac Geometricæ proportioni idcirco comparatur, in qua ut maiorum ac minorum numerorum æqua ratio ſeruatur, ita ipſa eundẽ ordinẽ obſeruet. Sed tota huius diſtributricis iuſticiæ actio eſt principum & gubernatorũ propria: ideoq; à nobis in præſentia pertermittitur, ne lõgius extra rem euagetur oratio. At uerò Commutatrix, quæ priuatæ pars altera eſt, in homi

num

num commercijs uitæq́; negotijs uerſatur. Vt enim eorum ſocietas, quæ cōmuni contractione indiget, tranquilla ſeruetur, neceſſe eſt, huius Commutatricis ui uti, quæ ſuum cuiq; diſtribuat: non illa quidē iuſticiæ Diſtributricis æqualitate, ſed ratione quadam debiti: ideoq́; Arithmeticæ proportioni aſsimilatur, in qua æquale numerorum eſt incrementum, non autem æqualis ratio. Ergo proprium diſtributricis eſt, dignioribus diſtribuere digniora: commutatricis, ſuum cuique debitum reſtituere. Ad hanc ipſam illa omnia pertinent, quæ in hominum ſocietate cernuntur, conſuetudine quadā reip. inſtituta: ut emptiones, uenditiones, uſusfructus, locationes, depoſita, fideiußiones, cæteraq; generis eiuſdē, quorum omnium tractatio ad iuriſconſultos pertinet. Proprium igitur eſt iuſticiæ cuiuſq; munus, ſiue ſit ea communis, ſiue priuata, ut rectè ſemper agamus, mali autem nihil committamus (neq; enim ſi nec boni, nec mali quicquam agamus, iuſti erimus, quemadmodum nec cum malè agimus.) Sed his quidem duobus propoſitis, præſtabilius eſt rectè agere, quā mali nihil committere: cum illud habitus, & hæc agendi priuatio atq; otiū ſit. His ita ſtatutis, de uniuerſo iuſticiæ genere, eiuſq́; partibus: reſtāt & uirtutes, aliæ ex illis tanquam è fontibus oriuntur, de quibus eſt deinceps à nobis diſſerendum. Itaq; tota cum iuſticiæ uis partim natura conſtet, partim etiā

 conſuetu-

conſuetudine, harum ſanè duarum alterutri diuerſæ uirtutes ſubijciuntur: ut naturæ, religio, pietas, obedientia, ueritas, uindicatio: conſuetudini uerò ijdem illi hominum contractus, quos ad iuriſconſultos ſpectare retulimus. Ex *quibus omnibus illæ quæ naturæ ſubijciuntur, cum ratione quadam æqualitatis conſtent, ad iuſticiam diſtributricem referri poſſe uidentur: quæ uerò conſuetudini, ad cõmutatricem. Quibus etiam adiungi uirtutes aliæ poſſunt, quæ ſub eandem rationem cadere uidentur: ut gratitudo, liberalitas, magnificentia, amicitia. Quæ omnia cum tractationem peculiarem exigant, ſigillatim explicanda ſunt, initio à religione ſumpto.*

De Religione, pietate, obedientia, ueritate, uindicatione, & earum uitijs contrarijs. Cap. 13.

Religionē Cicero *definit, eam quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quã diuinã uocant, curã, ceremoniamq; afferat.* Nos *aũt, qui uerè* Deum *agnoſcimus, illam appetimus uirtutẽ animi, qua unicum* Deum *colimus, & adoramus.* Hæc *cum uirtutum omniũ fundamentũ ſit, iuſticiæ quoq; erit.* Re*ligione enim deuincti homines, à malis cauent, cum diuinã punitionem uereãtur: recteq; agunt, cũ hac uia fœlicitatis patêre aditum credant.* Vnde *religio iuſticiæ uſq; adeò eſt cõiuncta, ut qui illa caruerit,*

protinus

protinus ſit iniuſtus, cũ Deo debitum cultũ non adhibeat. Ideoq; legũ ac iuſticiæ doctores cũ primis religionẽ inſtituũt, quod ſine hac nequeant reſpub. contineri. Nam omnes quidem nationes, quantũuis barbaræ, & immanes naturæ, inſtinctu Dei notionem aliquam habent, eiq; cultum diuinũ & honores ſummos attribuunt. Ex quo fit, ut iuſticiæ, uirtutumq; omniũ religio parens ſit, uel auctore Ariſtotele: & qui hanc rectè pieq; ſeruarit, non poteſt nõ in hominũ negotijs eſſe iuſtißimus. Præterea cum religionis (Chriſtianæ uidelicet, de qua hic nos loquimur) fundamentum ſit fides erga Deum, atque eius filium Ieſum Chriſtum: ut illa eſt iuſticiæ fundamentum, ita quoque hæc ipſa. Quocirca tota iuſticiæ uis ex fide tanquam è fonte naſcitur, & in ea uelut cardine uoluitur. Sine illa enim non modò iuſticia inter homines extare minimè poteſt, ſed ne religio quidem aliqua. Hoc Paulus ad Hebræos ſcribens teſtatur: Sine fide, inquiens, Impoßibile eſt placere poſſe Deo. At cum nos fidem iuſticiæ fundamentum eſſe dicimus, minimè intelligimus illam quam Cicero in Officijs conſtantiam & ueritatem dictorum & factorum erga homines appellat: ſed fiduciam erga Deum, & eius doctrinam, per Ieſum Chriſtum nobis traditam. Hæc enim uera fides eſt, qua imbuti homines colunt religionem, ac uera iuſticiæ officia exequuntur: quæq; nos Deo

actioneſq; noſtras gratas facit. Quã etſi philoſophi luce ueritatis orbati in uirtutem aliarum numerum non retulerint, aut eam ſaltem, ſicut nos, animo nõ cogitarint: ponenda tamen hoc loco nobis fuit, qui ueras uirtutes, & earũ actiones tradere ſtatuimus. De qua longam orationem habere nunc minime oportet, cum eiuſdem explicatio ad Theologos pertineat. Religioni adiuncta ſunt alia permulta, quæ hic perſequi longum eſſet: ut Preces, quibus à Deo quicquam petamus, uota, iuſiurandum, inuocationes, ſacrificia, ceremoniæ, cultus: quorum omnium explicatio ad eoſdem ſpectat Theologos. Huic contraria eſt Superſtitio, per quam Deo cultum minime decentem adhibemus. Quæ eadem non tã à noſtris multum abhorret, ſed ab Ethnicis etiam, à quibus exploſa eſt: ut ex Plutarchi libro περὶ δεισιδαιμονίας, id eſt de ſuperſtitione, intelligitur. Sed hoc uitio deterior multo eſt Impietas, quæ religionẽ omnẽ euertit, multorumq; malorũ eſt cauſa: ut ſacrilegij, periurij, contemptus diuinorũ aliorũq; uitiorum innumerabiliũ Ad religionem proxime accedit pietas, per quam (ut Cicero definit) ſanguine coniunctis, patriæq; beneuolis officium ac diligens cultus tribuitur. Hæc ſecundo poſt religionem loco ponitur, quòd ſacrarum literarũ oraculo præcipiatur, honorem primũ Deo, à quo ſumus facti, exhibendum: ſecundum parentibus, à quibus geniti

& educati:ultimum conſanguineis,cæteriſq; omnibus,quibus propinquitatis iure chari eſſe debemus. Et ut uirtutis huius ſumma eſt omnium poſt religionem laus,ita eius uitij contrarij maxima uituperatio. nam quid obſecro immanius, & à feris ipſis alienius,quàm uel parentes uiolare, uel in conſanguineos ſæuire?ut de Nerone,qui matrem occidit, ac reliquis eiuſmodi monſtris legimus Hi cum legem ipſam naturæ uiolent,non homines,ſed belluæ ſæuiſſimæ,efferatiſſimæ que dicendi ſunt. Contra quos Solon nullā concedere uoluiſſe legem dicebat: quòd neminem tam ſæuum fore putabat, qui eiuſmodi crimine polluere ſe auderet. Magna igitur eſt pietatis uis, magnumq; momentum in hominis uita:quam qui ſanctè riteq; tueatur, religionem etiam in Deum cultumq; ſeruabit: cuius præcepto parentes uenerari iubemur,ut in terris longæui ſimus,ac ipſi(quod maius eſt)placeamus. Nec uerò ſolum præmium hoc pijs & parentum cultoribus proponitur,ſed futura etiam fœlicitas promittitur. Pietati quaſi ex altera parte reſpondet Obedie̅tia, id eſt,cultus & honor,quo homines dignitate aliqua excellentes dignamur. Cum enim iure naturæ ſuperiores omnes colere debeamus,ut principes ac parentes : alteros, quòd nos genuerint & educarint:alteros, quòd legibus gubernent:in utroſque ſanè & pietas, & obedientia ſeruanda eſt. Vnde reſpubli-

reſpublicas omnes, ſocietateſq́; humanas uirtute hac contineri neceſſe eſt, quando ſine hoc ordine naturæ quidem uniuerſitas conſtare ullo modo poſſet. Hinc Paulus, *Animam omnem poteſtatibus ſublimioribus ſubijci debere iubet, quoniam poteſtas omnis à* Deo *ſit: & qui ei uelit obſiſtere,* Deo *etiam obſiſtat.* Itaque *ut parentes ui quadam naturæ charos habere, ac colere impellimur, ita omnes aut dignitate, aut honore præſtantes, obſeruare debemus.* Ex *quo fit, ut magnum inobedientiæ ſit uitium: quando ex animi elatione profectum, uel naturali etiam ordini, & à* Deo *cõfirmato, ſeſe opponit.* Quod *idem ut nos primum ab eodem* Deo *parentis noſtri* Adami *culpa auocauit, eiq́; reddidit infeſtos ita quoq; reddit ſemper.* Hac *de cauſa obedientiæ contraria eſt* Iactatio, *qua quis ſibi, plus quã æquum eſt, tribuit, uel factis, uel dictis, uel cogitationibus.* Ex *qua uitia alia non parua exoriũtur, quæ non* Deo *ſolum inimicos nos reddunt, ſed hominib. etiam, qui arrogantes & inobedientes iniquo animo ferunt.* Sequitur *iuſticiæ pars quarta, quæ* Veritas *ſeu ueracitas appellatur: quam* Plato *habitum rectum in affirmando negandoq́; definit.* Hæc *cum in hominum cõmercijs cernatur, omnino neceſſaria eſt & ad ſocietatem, & ad uitæ trãquillitatem: qua qui præditi ſunt, ueraces, ac ueritatis amatores uocantur.* Vt *enim ueritas cõmuni nomine dicitur,*

conſenſio quædã rei intellectæ cum ipſa intelligentia: ita uirtus ea animi, qua & uerũ dicimus, & nihil falſum ſimulamus, ueritas ſeu ueracitas nominatur. Eadem ſi negocijs contrahendis accõmodetur, fides dictorũ & factorũ erga homines, à Cicerone in Officijs appellari uidetur. Atq; uirtus hæc iuſticiæ propterea cõiungitur, quod qui eã rectè in omnibus actionibus ſeruarit, ſuum cuiq; reddere, quod iuſticiæ munus eſt, uidetur. Contrà, is qui mentitur, uel ſimulator eſt, cum debitam alijs fidem non ſeruet, iniuſtus eſt. Quapropter uirtuti eidem contrarium eſt Mendacium, id eſt falſitas, aut in ſermone, aut in actione: itemq; ſimulatio, quam Græci εἰρωνείαν appellant. At mendacium quidem, ut de illo primùm loquamur, preterquàm quòd Deo, qui ueritas ipſa eſt, diſplicet, ſocietati hominũ maximè aduerſatur. nã qui mentitur, præſertim ſi eo noceat cuiquam, humanæ congregationis fidem peruertit, ac uiolat. Ex quo fraudes, periuria, dolus, teſtamentorũ ſuppoſitiones, fidei uiolatio, innumerabiliaq; alia uitia oriuntur, quæ magna inter homines diſsidia odiaq; ſeminant. Hoc eſt illud, quod Demetrius à quodam rogatus, qua pœna digni eſſent mendaces? reſpondiſſe fertur, Vt ne dicentes quidẽ uera, digni fide haberentur. Itaq; ut ueritatem in dictis, factisq; omnibus ſeruare, iuſticiæ officium eſt: ita uelle mentiri, iniuſticiæ. Plato in Politia non

minus

minus iniuſtum eſſe inquit, quemcunq; mendacio fallere, etiã ſi hoſtis ſit, quàm facto aliquo lædere: cum fides illi contraria, non modò ſingulas ciuitates contineat, ſed hoſtes etiã ipſos, inter quos iura aliqua ſeruãtur: quæ qui uiolat, fœdifragus & perfidus cenſetur. Iam uerò Simulatio non minus uitioſa eſt, cum eius quaſi forma quædã ſit: quæ Theophraſto in libello de Typis moralibus, fictio uerborum, factorumq́; mala eſſet dicitur. Vt ſi quis nihil eorum quæ agat, fateri uelit: uel ſi agnita etiam deneget & occultet, ſi præſentem laudans, abſens uituperet. Hæc cum bono alieno repugnet, cui iuſticia fauet, uitium eſt illi contrarium. Et quamuis ad eam excuſandam Socrates alicuius eſſe momenti uideatur, & quòd is iuſtus iudicetur, & quòd ea uti frequenter ſit ſolitus: non tamen uitio iniuſticiæ caruit, cum detegendæ aliorum ignorantiæ, non docendi cauſa, nihil ſe ſcire faſſus, eos, ut ſibi ipſis repugnarent, adducebat. Quo fit, ut bonum ſi ad finem ſimulatio referatur, rectaq́; de cauſa occultare alijs conſilia noſtra uelimus, uirtus etiam ſit, ac prudentiæ maximè coniuncta. Huius generis ſunt ſimulatæ ducum fugæ in prælijs, ut ſpe uictoriæ hoſtes in locum iniquum deſcendant pugnandiq́; faciant poteſtatem. Sed hac de re in Prudentiæ officijs explicãdis tractauimus. Poſtrema omniũ iuſticiæ partiũ eſt uindicatio, per quã (ut Cicero definit) uis & iniuria,

iuria,& omnino quidquid obſcurũ eſt,defendẽdo, aut ulciſcẽdo propulſatur. Hac ipſa ille, libro primo Officiorũ, nunquã eſſe utendũ docet, niſi ſimus iniuria laceßiti. Duo enim iniuſticiæ genera ponit: unum eorum qui iniuriam inferãt, alterum illorum qui patiantur. quorum is qui ſe minimè defendat, nec lædenti obſiſtat, non minus in culpa eſſe illi dicitur, quàm ſi parentes, amicos ac patriam deſerat. Quæ profectò ſententia, præter id quod noſtræ religioni eſt contraria, quæ nos æquo animo iniuriã ferre iubet, à magnis etiam philoſophis improbatur. Nam & Plato in libris de Rep. & in Gorgia, melius eſſe iniuriã pati inquit, quàm facere: idemq; Ariſtoteles in quinto de Moribus libro confirmat, quoniam uidelicet inferre alicui iniuriã nõ ſine iniuſticia, pati uerò etiã iuſtißimè licet. Ex quo intelligitur, æquo animo iniuriam iuſto homini perferẽdam, nec lædenti reſiſtendum: niſi uim ui repellere, non animo infeſto illi nocere uelimus. Nam ſi nocẽdi cupiditate lædenti obſiſtere uel referre iniuriam conemur, nõ iuſti, ut falſo Cicero putauit: ſed æquè iniuſti ac læſores ipſi erimus. Quocirca ex eadem hac iniuriæ perpeßione, quam ille animi deiecti eſſe putauit, præſtantißima quædam uirtus Patientia proficiſcitur: de qua deinceps diſſeremus, cum ad tractationem de fortitudine fuerit peruentũ. Inde etiam Carneadem Academicũ in ea nobili oratione,

quã Græciæ nomine legatus in Romanorũ ſenatu dicitur habuiſſe pro iuſticia, & contra eandẽ erraſſe perſpicitur: ſicuti cõtra ipſum, ac Ciceronem, Lactãtius ſcribẽs cõtendit, dũ iniuriã homini iuſto ulciſcẽdam, niſi uellet eſſe iniuſtus, aſſerebat. Sed quo pacto id uerũ eſſe poßit, nõ uideo: cũ in eo ſolũ qui iniuriã facit, ab eo qui ulciſcitur, differat, quod ille prius iniuſtus fuit, quam hic: cæteroqui tamen uterq; nocendi alteri animũ habuit, id quod iniuſticiæ proprium eſt. Verùm hæc ſatis de ijs iuſticiæ partibus dicta ſint, quæ naturæ ſubijciuntur: nunc ad reliquas ueniamus.

De reliquis iuſticiæ partibus, ac primò de gratitudine. Cap. 14

Reliquæ iuſticiæ partes, quæ ſuperioribus annectuntur, ſunt, Gratitudo, Liberalitas, magnificentia, amicitia: de quibus omnibus, quoniam longiori tractatione opus eſt ſigillatim diſſeremus.

Gratitudo, ſeu gratia, ut ab ea primùm exordiar, à Cicerone definitur, ea in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi uoluntas continetur. Eadem autem in accipiendo uerſatur potius, quàm in dando: quoniam qui dat, liberalis eſſe uidetur: qui accipit, gratus, ſi libenter beneficium collatum accipiat, & referre uelit. Ideóq; tota gratitudinis actio in reddendo, non in dando accipiendóue conſiſtit. Cum enim hominis

minis uita mutuo adiumento indigeat; ſi quid gratis ab alio quiſquam accipiat(nam acceptionis eius quæ per emptionem fit,diuerſa ratio eſt)grato quoque animo id debet compenſare.Ergo primũ grati hominis officium eſt,ut libenter beneficium accipiat,referatq́;. Vnde Senecæ noſtri illud:

Si uis reddere beneficium,accipe benignè.

Nam ſi cupiditate retinendi eius quod datur, accipiamus,nec in reddendo animi gratia reſpondeat,non reddere beneficium,ſed debitum ſoluere uidebimur. Quocirca neceſſaria eſt utriuſq; benignitas,& dantis,& accipientis:illius quidē, ut ſine ſpe remunerationis,aut commodi ſui donet: huius autem,ut animo prompto accipiat, cupiatq́; cum primùm poſſit,par pari referre:uel ſi gratior eſſe uelit,cum fœnore etiam maiori,ut boni agri fructũ uberiorem officij collati proferre.In quo tamen cauendum eſt,ne tardi admodum, ac duri in gratificando ſimus:ne in hoc maximè uideamur ingrati, quòd quaſi extorqueri beneficium à nobis nō poſſit,néue obliuioni benignitatem tradamus. Quod poeta Ouidius præclarè admonet:

Gratiaq́; officio,quod mora tardat,abeſt.

Nec uerò adeò in reddēdo beneficio celeres ſimus, ut quaſi ære alieno continuò diſſolui uelimus, nullamq́; grati animi memoriã retineamus. Qui enim reddere feſtinat,ut idem ait Seneca,non habet ani-

mum grati hominis,ſed debitoris: et qui nimis citò cupit reddere,inuitus debet: cum eo maximè ingratus ſit, quòd inuitus compenſet beneficium Quamobrem grati hominis eſt,ſi cum uel reddit officiũ, parum ſe reddere pro accepto putet: uel plus etiam ei addere cupiat,quanquam id minus ſit,quod acceperit. Hoc *ſolet arctiſsimè homines hominibus conciliare,eſtq́; magnum generoſi animi ſignum: quale in* Aenea *eleganter depinxit* Virgilius:

Non opis eſt noſtræ Dido.—

Dij tibi,ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Vſquam iuſticiæ eſt,& mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferant.—

Hinc magna dubitatio naſcitur, nunquid referendæ gratiæ officium,eius qui accepit utilitate,an illius qui dedit beneficio ponderandum ſit? Nam *ſi referas plus quàm acceperis,iniquo fortaſſe animo id ab altero accipietur, cum ſe uideat à te ſuperatum: uelle autem plus reddere, pergrati animi eſt.* Ideo,*ut præclarè* Ariſtoteles, *tantum erit reddendum,quantum acceperis: aut eo interdum plus,ſi commodè collocari uideas.Eſt etiam hic aduertendum, ut quod danti redditur, utile ipſi ſit,iuſteq́; detur.nam ſi uel ei ſit incommodum,uel iniuſtè tribuatur,in uitium potius incides. Sed huius rei explicatio in tractationem de liberalitate differenda eſt. Gratiæ contraria eſt* Ingratitudo. Eadem

autem

autem eſt, cum uel collati beneficij ſumus immemores, uel cum inuiti gratiam referimus, uel pro officijs malum reddimus. Totidem enim modis ingratus eſt aliquis, quot gratus, ſi officijs commemoratis contrariæ opponantur actiones. Eſt uerò ingratitudo uitium deterrimum, & charitati hominum mutuæ contrarium. quoniam ingratos non minus odio habemus, quàm aduerſarios: cum ijs malè uelimus, quòd nulla de cauſa uel beneficijs prouocati, nobis aduerſentur. Contra quos bene in *Aſinaria* Plautus:

Ingrata atq; irrita eſſe omnia intelligo,
Quæ dedi, & quod beneſeci. at poſt hac tibi
Malè quod potero facere, faciam:
Meritóq; id faciam tuo.—

Male ſe inquit illi cupere, idq́; ipſius merito. Siquidem ingrati homines non ab ijs ſolum quibus ſunt ingrati, odio habentur: uerumetiam ab alijs, qui eos ueluti peſtem deuitant. Vt enim fœneratori nemo putat gratiam habendam pro collato beneficio, cum ſuo id commodo faciat: ita hominem ingratum, quòd cōmoditati ſuæ tantum ſtudeat, nemo poſſe amicum eſſe exiſtimat, nemoq́; bonum uirum eſſe cenſet. niſi fortè Pop. Rom. *laude dignum putemus, cum* Scipionem Africanum, Naſicam, Halam Seruilium, *homines de rep. bene meritos, aut afflixit, aut in exilium relegauit. Et ne plura huius*

uitij exempla producam, ſæpe Deus Iſraelitico populo ingratitudinem exprobrans, manifeſtè nos docuit, tanto eſſe magis illam fugiendam, quanto maiorem debitæ gratiæ obliuionem afferat. Nam ut agro ſterili nemo ſemen temerè committit, quod nullum inde fructum ſperat: ita hominem ingratū nemo uult beneficijs ornare, ne totum id amittat, quod elargiatur, néue oleum & operam (quod aiunt) perdat. Sed hæc hactenus de Gratitudine: nūc ad Liberalitatem ueniamus.

De liberalitate. Cap. 15.

Liberalitas, quæ alio nomine Beneficentia uocatur, adiuncta eſt iuſticiæ: quòd nemo eſſe liberalis poßit, quin idem ſit iuſtus: nemoq́; auarus, quin iniuſtus. Hanc definit Ariſtoteles, mediocritatem in erogando & accipiendo poſitam, circa rem pecuniariam. Plato uerò habitū, qui in quærendis erogandisq́; pecunijs decorum ſeruet. Sed nos melius liberalitatem uirtutem eſſe dicimus, qua quis pecunias commodè & honeſtè largiri poßit. Hæc enim in dando, non in accipiendo, aut accepta ſeruando conſiſtit. Idcirco libenti animo debet omnia largiri liberalis uir, cum uirtutis habitus iucundam gignat actionem, uirtusq́; ſemper uoluntaria ſit. Et quanquam liberalitas nullam habere debiti rationem uideatur, quapropter iuſticiæ adiuncta ſit, tamen id illi conuenit cum hac, quòd iuſticia pertinet

ad alios, ita quoq; liberalitas: & ut illa ſeſe ad multos diffundit, ita hæc eadem. Quocirca huius potiſsima radix eſt in uolūtate: cum liberalitas omnis uſq; adeò uoluntaria eſſe debeat, ut ſi non ſit, ne liberalitas quidem dici poßit. Finis præterea illius idem ab Ariſtotele ſtatuitur, qui uirtutum aliarum, id eſt honeſtas: à nobis tamen Deus, & eius præcepta: quibus ſi pareamus, ueram liberalitatis uirtutem nanciſcemur. Quo nomine hanc inter duo uitia extrema, ſicuti uirtutes alias, ponit Ariſtoteles: auaritiam & luxum, ſeu prodigalitatem. De quibus nos explicata liberalitatis ratione, deinceps diſſeremus. Cum ergo liberalitas ad hominū aliorū utilitatem referatur, totaq; ipſius uis in dando uerſetur, multas habet, ut ait M. Tullius, cautiones. Quarum prima eſt, ut ſine moleſtia demus: quādo in hoc potiſsimùm libera uoluntas exigitur: nam ſi quis, ut uitet turpitudinem, id elargiatur, quod alioqui non erat daturus, minimè dicendus eſt liberalis. Secunda uerò, ut in beneficio conferendo uitemus, ne plus illud ei noceat, in quem collocatur, quàm proſit: ut ſi ſceleratis hominibus multa largiamur, quæ ipſi in ſuam, aut in aliorum perniciē conuertant. Tertia cautio eſt, ne iniuſtè quicquam ab alio capiamus, ut alijs demus: ne in peßimum iniuſticiæ uitium incidamus. Itaque noſtris ex rebus largiendum eſt, quidquid dederimus, nō ex alienis:

cum iuſta liberalitas nemini nocere debeat. nam ſi uel danti ſit incommoda, non minus erit uitioſa, cum nos bonis neceſſarijs priuemus, ut benigni erga alios ſimus. Quam ob cauſam uidendum eſt, ne plus quàm opes noſtræ patiantur, largiamur: néue profuſi, ac immoderati ſimus. Poſtremò nihil cuiquam, nulla eius dignitatis habita ratione, tribuemus: nec quibuſuis, aut quæcunq;, aut cum nõ oportet: ne ſpe lucri, ne uirtutis huius officium malè pereat, nosq́; iniuſti efficiamur, dum maximè liberales eſſe ſtudemus. Sed cum harum omnium cautionũ obſeruatio ex recto rationis iudicio naſcatur, nec actionũ ſingularũ certa reddi ratio poßit: cauẽdum in omnibus, ne modum iuſticiæ excedamus: néue quicquam agamus, cuius pœnitẽtia poſtea ducamur: cũ uirtutis actiones uoluptas, uitij autem dolor ſequatur. Recta enim ratio, quæ actionum bonarum eſt iudex, liberalitatis etiam officia perpendit, & examinat. ut ſi quis eſſe liberalior uelit, quàm propriæ facultates permittãt, eũ ratio ſui eſſe profuſum, atq; imprudentẽ cõuincit. Euripidem Archelao regi dixiſſe, inquit Plutarchus, ſe pauperẽ illi diuiti nihil uelle donare, ne imprudens iudicaretur, néue eo dono aliud maius uideretur ambire. Idipſum quotidie in hominũ uita cernitur: uulgariq́; dicto iam circumfertur, pauperis & egeni hominis donum maiorem officij gratiam expoſtulare. Ex

his

his fortè aliquis addubitet, nunquid egeni homines eſſe liberales poßint, cũ in tribuẽdo liberalitas conſiſtat, hiq́; illam exercere nequeant. Sed uerè quidẽ illis uti liberalitate poſſe, nihil obſtat: cũ in omni uirtute nõ minus agẽdi uolũtas, quàm factum ſpectetur: & qui ſola eſt uolũtate liberalis, reuera etiã talis eſt, quamuis id quod animo cupit, opere non poſſit exequi. Ergo *ij uerè liberales et animo & re ſunt, quicunq; non donandi cupiditate, quales ſunt multi, ſed iudicio donant: ac tribuere poſſunt, non cuiuis, ſed egenti: nec ubicunq;, aut ſemper, ſed cum res, locusq́; poſtulant.* Huiuſmodi *paucos liberales inueniri non dubito. Sed uera profectò uirtus nõ hominib. ſed recta ratione erit ponderanda.* Nec *enim uerè liberalem* Alexandrum *eſſe unquam putaui, cum ut ſuis daret, alios ſpoliabat: non* Iulium *Cæſarem, non alios, qui popularem gratiam ambire, nõ ueræ uirtutis munus obire uoluere.* Nec *illi rurſus, qui multa ſuarum rerum incommodo largiebãtur, modò egenis ac miſeris ſuccurrendum putarint, uitio prodigalitatis notandi ſunt: cum nullus ſit liberalitatis modus, ſi id rei poſtulet neceßitas.* Eiuſdẽ *enim eſt uitij, ut* Alexander *idem aiebat, nihil prorſus dare, atque ei dare cui non oporteat.* Etenim *ſi diues ſit is, cui dederis, tu uerò pauper, ad uſuram dare uideris: ſi ambo diuites, ambo opulenti, ambo fœlices, etiam cum das, uicem repetere putaris.* Ex

quo ſit, ut ſi animo ingrato, utilitatiſq; ſpe allecto dederis, liberalis nõ ſis. Itaq; *ueræ liberalitatis eſt, non ſolum eo modo, quo diximus, donare: ſed egenis etiam, & illis, à quibus nihil ſperes: idq; ut* Deo *placeas, ac iuri humanitatis inſeruias.* Hoc Tobiam *facere ſolitum, ſacræ literæ teſtantur: quod is omnia penè bona in captiuis redimendis, miſeriſq; iuuandis conſumeret.* Idq; Gilliæ *cuidam* Agrigentino, *probo quidem homini, ac diuiti factitatum, memoriæ proditum eſt: quòd is omnes ſuas opes egenis, & hoſpitibus impertiret.* Hinc *etiam dubiũ alicui fortaſſe uidebitur, cur nos hic liberalem ſua bona profundere uelimus: cum ſuprà liberalitatem maiorem, quàm pro cuiuſq; opibus, debere eſſe negauerimus.* Duplicem *liberalitatis uim eſſe, intelligendũ eſt. unam, qua ſolum beneuolẽtiæ cauſa, non habita egeſtatis ratione, damus cuiquam: quæ ciuilis appellari poteſt, quòd inter ciues exerceatur altera, quæ in ſubleuandis egenis, propter humanitatis ius,* Deiq; *præceptũ uerſatur: quæ* ἐλεημοσύνη *Græcè,* Latinè *benignitas nominatur.* Harum *quidem illa maior eſſe, quàm opes ſinant, non debet: exercendáq; ſemper ijs omnibus modis eſt, quos hactenus præſcripſimus. hæc contrà benignior cum ſit, nullam mediocritatem requirit: ſed eo eſt perfectior, quo largior in egenos fuerit.* Nec *tamẽ omnia ſic uolumus profundi, ut uxor, liberi, domeſtici*

familiaq;

familiaq́; tota bonis neceſſarijs priuetur:neq; enim id Deus poſtulat:ſed ijs potiſſimũ hoc præcipitur, qui nullo ſunt alẽdæ familiæ iure aſtricti:quiq́; pau cis contenti,domi uiuere , reliqua uerò alijs dare Dei cauſa poſſunt. Quorum certè benignitas Deo eſt tam grata,ut uera ſit liberalitas,ueraq́; iuſticia, qua & uitiorum labe purgamur,& æternam fœli citatem conſequimur. Sed de hac ipſa,plura Theo- logi. Propoſitis ergo liberalitatis officijs,contraria ijs uitia ſubiungamus,ut tota huius rei ratio cõmo- dius intelligatur. Liberalitati Ariſtoteles duo uitia contraria opponit:auaritiam,quæ in defectione eſt ac prodigalitatem,quæ in exuperãtia. Atq; illa qui dem,ut ipſemet ait,eſt tenax pecuniarum cupidi- tas, quæ ſuo cõmodo cuncta metitur, omnibusq́; ac ſibi ualde inimica eſt. Eadem autem duabus in re- bus cernitur:ut ſi minus quàm decet largiare,aut ſi in accipiendo modum nõ ſerues: ſiquidẽ auarus ut- cunq; & quomodocunq; poſſit,uel bonis alienis in hiat: ijsq́; iam adeptis uſq; adeò parcit,ut nec ſibi, nec alijs eorum uſum aliquẽ præſtet. Quo nomine auaritiæ malum,ut inquit Ariſtoteles , curari non poteſt:præſertim ſi ſenibus,qui natura ſunt ad rem auidiores,contigerit. Hanc Diogenes morbo aquæ intercutem,quam Græci uocant,ὑδρώπισιν com- parabat:quod auarus nunquam uel multis opibus expleatur,quodq́; ipſius cor perpetua auiditate in- flammetur,

flammetur, & angatur. Ab hoc uno uitij genere in finita alia naſcuntur, ad quæ homines effrenatæ cupiditatis incitãtur, ut rapinæ, cædes, fœnora, ſuppoſitiones teſtamentorum, proditiones, bella, contentiones, aliaq́; huiuſmodi, quæ perpetrare homines ſpe lucri ſolent. Indicauit hoc illa fœmina Demonica, quæ patriã Epheſum à Gallis obſeſſam duci eorum Brenno prodidit, ut eius torques aurei, ac monilia ſibi darentur. Quam ob cauſam Timon, is qui μισάνθρωπος ab inhumanitate appellatus eſt, inſatiabilitatẽ hãc malorũ elemẽta nominabat, quod ex hac nimia habendi cupiditate, infinita mala exoriantur. Nam omniũ profectò cupiditatum finis eſt, ac modus aliquis, cum rei auiditas expletur. at uerò auaritia nunquam extinguitur: ſed uelut ignis ſubiecta materia, ita opum incremẽto magis augetur. Semper ergo turpis eſt auaritia, ſemper abiecta & timida: quodq́; ſummũ eſt uitiũ, Deo ingratiſſima. Et cum tres ſint illius partes ab Ariſtotele commemoratæ, turpis quæſtus, tenacitas, & illiberalitas, quam κιμβηκίαν appellat: nulla profectò earundẽ uacare poteſt iniuſticia. Nã turpitudinem quæſtus iniuſtam eſſe, nemo dubitat. cũ eius cauſa quæcũq;, & quomodocunq; poſſit, lucrari uelit auarus: ut in fœneratoribus, mercatoribus, piratis, raptoribusq́; omnibus cernimus. Tenacitas uerò quamuis non adeò pernicioſa eſt, nihil tamen honeſte ac decenter

fieri

fieri permittit, dum omnibus uult parcere, uel neceſſarijs etiam. Cuiuſmodi eſt illa ſenis Plautini in Aulularia, qui ut nihil conſumeret, tamen inuentum theſaurum adeò ſeruabat, ut ei uni totus inuigilaret. Illiberalitas demum magnopere iniuſta eſt, cum nec decorum, nec temporis occaſionē, nec rerum honeſtarum uſum conſideret, dum parciſsima eſſe uult. Hanc propterea uitæ ſordes, ægritudo, puſillanimitas, deiectio animi, immoderatio, uilitas, odium in homines, turpiſsimiq; affectus alij conſequuntur. Auaritiæ conraria eſt prodigalitas, quã ἀσωτίαν Græci uocant: quæ tametſi uitioſa eſt, & liberalitati cõraria, illi tamē aduerſatur. Eadē uerò uitium Ariſtoteli dicitur, quod ad immoderatè dandũ, ac ſine cauſa rationi congruente, hominem inducit. Nã ut auaricia nimia eſt in accipiendo, retinendoq; ſemper: ita luxuries in profundendo modũ omnē exuperat. Vtraq; uerò ualde uitioſa eſt, & à ratione auerſa. Sed luxuries auaritia eſt longè cõmodior, ac liberalitati ſimilior, quoniã alicui prodeſt: et qui prodigus eſt facilius ad liberalitatem reuocari poteſt, quàm auarus. Quemadmodum in Euangelio, exẽplo eſt iuuenis ille prodigus, qui cum omnem hæreditatem exediſſet, tandem reſipuit, & in patris gratiam redijt: cõtrà uerò diues auarus, inferni pœnas nõ effugit. Porrò omnis prodigalitas ex immoderata dandi auiditate proficiſcitur:

tur præcipuè in iuuenibus, qui rerum ignari, nullis ſumptibus parcũt, neq; ante ſeſe colligũt, quã egeſtatis ui cogãtur. Q*uapropter uitiũ hoc ſolum ipſi prodigo incõmodum eſt, nõ alijs. in quos beneficia cõferuntur.* N*iſi forte ab alijs rapiamus, quod alijs ſit dãdum. tunc enim duplici de cauſa peccatur: & quòd nobis ipſis, & quòd alijs affertur incõmodũ.* H*inc perſpicuum eſt, multa prodigalitati uitia eſſe cognata: quæ prodigus non committeret, ſi bonis moderatè uteretur: ut ſunt, libidõ, cupiditasq; rerũ multarum, de quibus ſuo loco dicemus.* E*xpòſita uitiorum liberalitati contrariorum ratione, ad magnificentiam nos conuertamus: quæ quamuis à quibuſdam fortitudini ſubijciatur, propriè tamen liberalitati annectenda eſt: quoniam non ad animi magnitudinẽ, in qua cernitur fortitudo, ſed ad actiões magnificas refertur.* I*taq; magnificentia liberalitati debet coniungi, cum circa idem ſubiectum uerſetur. non magnanimitati, ſeu fortitudini, à qua ſuam originẽ deducit.* E*adẽ præterea* C*iceroni definitur rerum magnarũ & excelſarum, cũ animi ampla quadã & ſplendida propoſitione, agitatio, atq; adminiſtratio: magnificus uerò is, qui magna et admirãda facit.* Q*uales ſunt ij qui templa ædificant, familiam alunt ampliſſimã, egenis omnibus ſubueniunt, eiuſmodiq; alia tum cõmoda, tum magna adminiſtrãt.* E*x quo ſequitur, ut cum magnificus largitionis magnitudine*

gnitudine excellat,nec magna ſolum animo comprehendere,ſed exequi etiam debeat, pauper eſſe non poßit,ut Ariſtoteli placet. Quapropter illam regibus,principibus, uiriſq; ampliſsimis tantummodo concedit.In qua tamen modum,ut in liberalitate,ſeruari iubet,ne opes exinaniātur.Sed ut hāc nos Ariſtotelis ſententiam examinemus,uidendum eſt,nunquid magnificentia uerè diuerſa ſit à liberalitate:an cum eadem confundenda, cum circa ſubiectum idem uerſetur. Equidem hoc unum magnificum à liberali differre arbitror, quòd amplior ſit largitio in magnificentia, quàm in liberalitate. Officia uerò uirtutis utriuſque omnino eadem ſunt. & qui liberalis eſſe uult,animum magnifici debet habere:& qui magnificus,liberalis. Quamobrem una uirtus erit utraque:niſi quòd liberalitas, ſi minus demus,nocetur:magnificentia,ſi plus. Cæteroqui uoluntas beneficiendi, conferendiq; beneficij cautio,et ratio eadē eſt.Nec enim Gilias ille Agrigētinus,quem ſuprà commemoraui,dum egenis & hoſpitibus fortunas omnes ſuas cōmunes faciebat, magnificus potius,quàm liberalis fuit: ſi eius animum conſideremus.Nec Alſonſus decimus Hiſpaniarū rex,is qui tabulas Aſtrologicas ſcripſit,noſtriſq; leges tulit,magnificus magis dici,quàm liberalis debuit:dum in omnes ſibi ſubditos largißmus erat,dum templa ampliſsima et ornatiſsima extruebat,

tuò copulantur, exoritur. Hæc iuſticiæ cõiuncta eſſe dicitur: quoniã ut debitũ creditori, ita noſtro generi beneuolentiam debeamus: & qui odio alios habeat, iniuſtus & inhumanus cenſeatur. Quo fit, ut omnibus animantibus beneuolentia erga ſuum ſimile ingenita à natura ſit: eaq́; hominib. præſertim qui non ui ſolũ naturæ, ſed Dei etiã præcepto ſeſe mutuò debent deligere. Quocirca rectius amicitia Ariſtoteli dicitur beneuolentia quædam, minimè latẽs in animorum affectione: quoniam uidelicet neceſſe eſt mutuò ſeſe homines amare, idq́; minimè latenter, ut uera exiſtat amicitia. Vnde nec in belluis amicitiam ille ponit, ſed beneuolentiam, quam itidem animatis ſolum rebus attribuit, nõ anima carentib. in quibus eſt ſolum ſympathia, & ſimilitudo. Quapropter hi ſunt amoris gradus unicuiq; rei à natura cõſtituti, ut inanimes res mutua ſympathia conſeruentur: animantia bruta, beneuolẽtia erga ſuum genus: homines nõ tantum ijs omnibus, ſed amicitia quoq;, quæ cum ratione ac uirtute cõiungitur. Porrò ſedes amicitiæ quamuis in appetitoria facultate ponatur, ratiõi tamẽ adhæret: quod amicitia nõ impetu cupiditatis naturalis, ſed ratione moderanda eſt, quæ illã magis confirmat. Quo nomine magnũ amicitiarum eſt diſcrimen, magna uarietas, cum non omnis beneuolentia ueram efficiat amicitiam: nec quicunq; amat, uerus ſit amicus. Triplex enim

eſt genus eorum quæ amantur, uel iucũdum, uel utile, uel honeſtum. Iucundum quidem, et honeſtum, ueluti finis expetitur: quoniam alijs honeſtas, alijs uoluptas magis probatur: utile aũt nunquam propter ſeipſum, ſed ob aliud diligitur. Hinc oritur *triplex amicitiarũ genus (nam ab amore amicitia naſcitur, & amorũ diſcrimẽ differre amicitias facit) unum eorũ qui uoluptatis cauſa amant, ut pueri & adoleſcentes: alterum illorum qui propter utilitatem, ut mercatores, atq; adeò ij omnes qui ſpe lucri deuincti inter ſe ſunt: tertiũ deniq; eorum, qui ſola honeſtate ſeſe diligunt* Ex *his omnibus nullum eſt ueræ amicitiæ genus, præter illud quod honeſtate conciliatur: reliqua uerò duo ficta ſunt, facileq; diſſoluuntur.* Nam *qui uoluptatis cauſa diligit, eadem expleta, ſatiatur, ac deficit: qui uerò utilitatis, hac adepta, frigeſcit. at qui honeſtatis nomine colit amicitiam, is conſtans, is uerus amicus eſt qui non modò in hac uita amare non deſiſtit, ſed poſt mortem etiam: ut apud* Ciceronem Lælius, *erga demortuum* Scipionem *fuiſſe ſe fatetur. In hac autem perfecta amicitia, quam ſola parit honeſtas, multa ſpectanda ſunt, quæ in uulgari beneuolentia deſunt, quæq; amorem maximè confirmant.* Primum, *ut amicitia inter bonos ſit ſolum, quãdo ipſa naſcitur ex uirtute: quæ cum in prauis hominibus non ſit, horũ profectò beneuolentia non amicitia, ſed coniuratio, ut*

dit

ait Cicero, dicenda eſt: iis ſiquidem non honeſtatis, ſed aut uoluptatis, aut ſui commodi cauſa cōpulantur. Huius generis illi erant, qui cum Catilina coniunctiſſimè uixiſſe à Saluſtio dicuntur: itemq; graſſatores, ac latrones omnes qui inter ſe ſocietate deuincti ſunt. Præterea cū in amicitia animorū ſumma cōſenſio poſtuletur, amiciq; ſibi Platonis præcepto debeant æquè bene uelle, non poteſt illa niſi inter æquales ac ſimiles exiſtere. pares enim cum paribus, ut in prouerbio eſt, facillimè congregantur: & amicitia plerunque ex morum ac uitæ ſimilitudine æqualitateque naſcitur. Nec uerò inter principes ac ſubditos, aut inter ſummos & infimos amicitia uera eſſe poteſt: cum neque ipſorum æqualitas, neque ſimilitudo ſit aliqua. Certè in hoc eſt uirorum principum conditio planè miſerrima, multúmque deploranda, quòd nulli magis adulatorum illecebris irretiuntur, falluntúrue, quàm illi: dum ne deſipere quidē unquam ac ludere poſſunt, quin ab aliis id quaſi prudentiſſimè factum laudetur. Nec minus miſeri ii ſunt, qui, eorum uoluptati inſeruientes, ſeque ipſis deuinctiſſimos fingentes, ſeruitutem abiectiſſimam ſeruiunt. Spes nimirum lucri eos obcæcat, fauoris ſpectatio delectat, ſuperba beneuolentia tenet ſuſpenſos, quouſque magno ſuo malo pœnas ſtulticiæ ſuæ pendant. ut præclarè Horatius,

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuet.

Ergo cum æqualis officiorum gratitudo, æquales uoluntates, ac uitæ æqualitas inter maiores atq; inferiores non ſit: relinquitur ſanè, amicitiam inter eoſdem eſſe non poſſe, in qua nihil prius eſt, quàm ut æqualitas animorum ſit. Eſt & aliud in amicitia præceptum, itemq; à magnis philoſophis traditum, & experimento confirmatũ, Amicitiã ueram inter *plures eſſe non poſſe: quia, ut fluuius, ſi multos in riuulos diducatur, anguſtior, minorq; fit, ac tandem exinanitur: ita qui multis amicus eſſe cupit, neminẽ diligere rectè poteſt, nunquamq; fidus aut conſtans amicus erit.* Eo *fit, ut pauci ueri amici ab antiquis celebrentur, paucioresq; nũc ſint: præterquam illa apud omnes celebrata amicorum paria,* Theſei & Pirithoi, Achillis & Patrocli, Oreſtis ac Pyladis, Pythiæ & Damonis, Epaminondæ *ac* Pelopis: Dauidis *ac* Ionathæ, *quos Sacræ literæ plurimùm amicitiæ nomine commendant.* Attamen *nec amicitiã multorum ita fugiendam arbitramur, ut amicum unũ, reliquos inimicos habeamus: ſed quòd in amore magnam cuiuſq; habere rationem oporteat, neq; omnes ex æquo diligamus. Nam unũ ſemper nobis deuinctiſsimũ, quaſi nos ipſos, habebimus: reliquis uerò tantum bene uolemus, ut de* Scipione Africano *dicitur, qui nunquam è foro domum prius redibat,*

quàm

quàm a licuius beneuolentiam ſibi conciliaſſet. Sed quoniam de amicitia multa uerba facimus, nec ſatis adhuc eius diſcrimē do uimus, diuerſos eſſe amoris gradus inter homines putādum eſt, quos naturæ ui quadam tueri, colereq; debent. Primus eſt parentū ac filiorum, ſecundus fratrum & propinquorum, proximus beneficorū ac ciuium, poſtremus hominum omnium. Sed his omnibus uera amicitia lōgè antecellit, quæ uel parentum amorem ſæpe ſuperare ſolet. Cum amicum pro amico libenter mortem ſubire uoluiſſe legamus, ut de Damōe ac Fythia Pythagoricis memoriæ proditum eſt: quorum alter cum mortis uadimonium pro altero ad tempus conſtitutum ſuſcepiſſet, alterq; ut amicū illo ſolueret, ad idem tempus redijſſet, ſeſe morti animo libenti obtulit. Hoc ipſum de Pylade atq; Oreſte narrant poetæ, qui apud Tauricam Dianam enixè de morte ſubeunda contendebant, quod Ouidius de illis cecinit eleganter:

re iubet Pylades charum periturus Oreſtem:
Hic negat, inq; uicem pugnat uterq; mori.

Nec uerò hanc tam raram, támque præſtantem amicitiam facile repcriri putamus, quæ longo amoris uſu confirmari debet: ac priuſquàm ad eam perfectionem perueniat, multi (ut ait Ariſtoteles) ſalis modij ſunt nobis edendi, ſed nos perfectam uerámque amicitiam deſcribimus. In eo uerò cuncti ſic

præcipiunt,ut initio tardi ad amandum ſimus,contineamusq; impetum cupiditatis: ut perſpectis illius,quem diligimus,moribus,nos eidem aſtringamus,ne magis impetu quàm conſilio fieri amici uideamur. Amicos enim,non quoſcunque, ut rectè Iſocrates:ſed optimos ac probatiſsimos deligere debemus. Inita autem iam amicitia, efficiendum cum primis eſt,ut conſtantes ſimus,ne more puerorum facilè diligamus, citòque amicum deſeramus. Vt enim nemo prudens de rebus dubijs quicquam ſtatuit,donec id habeat perſpectum: ita nulla ineunda eſt amicitia,quam non diligens examinatio præceſſerit, quæ & amoris impetum moderetur, & beneuolentiam diu conſeruet. Porrò in amicitijs uitandæ ſunt ſemper contentiones, ac diſsidia, itemq; amicorum contemptus:ne quod nimium familiares ij ſint,conſuetudo pariat contemptum. Vnus itaq; ſit ſemper amicorū animus,una uolūtas, unaq; in omnibus cōſenſio,ne ex amicis noſtra culpa fiant inimici:qui plerunq; ſolent infeſtiores eſſe alijs. Nec uerò in omnib. obſequi,moremq; gerere amicis debemus,præterquā in bonis,ne participes eorum maliciæ ſimus,ſed à malo eos inſtituto reuocabimus, rectisq; conſilijs temperabimus,ne amici cauſa uirtutis officiū deſeramus. amicis enim,ut uulgari etiam dicto circunfertur,parendū eſt, ſed uſq; ad aras. Quod ſi uerò eueniat,ut amicus à propo-

ſito,

ſito nequeat abduci, eiusq; cauſa peccare neceſſe ſit, ei minimè aſſentiendū eſt & ut Cato *rectè monebat, amicitia eiuſmodi paulatim diſſuēda, nō diſcindenda eſt.* Totam *ergo beneuolentiæ cōiunctionem honeſtate metiri oportet, non impetu, aut utilitate: ſemperq; amico parendum eſt, niſi turpe ac uitioſum ſit illud, in quod adducimur.* Nulla *enim eſt ut ait* M. Tullius, *peccati excuſatio, ſi amici cauſa peccaueris.* Iam *cum amicos idem, ſi fieri poßit, ſentire uelimus, dubium adhuc eſt, uter ſuorum debeat plus amare, aut in quo amicitiæ uis magis cernatur.* Certè, *ſi* Ariſtoteli *credimus, in eo potius ſita eſt amicitia, ut quis amet, quàm ut ametur.* Nam *qui dū amatur, minimè redamat, non amicus, ſed beneuolentiæ ſimulator eſt.* Quapropter *æquam utriuſq; beneuolentiam eſſe debere* Plato *iubet, ut nemo alterum amet plus quā alter.* Quod *ipſum ſacrarum literarum oraculo præceptū nobis eſt:* Diliges *proximum tuum, ſicut te ipſum.* Sed *de amicitia hæc quidem hactenus: de qua* Plato, Ariſtoteles, Ciceróque *multa accuratè diſputant.* Amicitiæ *contraria eſt inimicitia, qua nihil humāo generi pernicioſius, nihil* Deo *magis ingratum eſt.* Vt *enim omnia amicitia conſeruantur, ita odio diſſoluūtur ac pereūt: & qui alijs inimicus eſſe uult, is omnem humanitatem deponit, belluisq; ipſis deteſtabilior eſt, quæ mutuam ſui generis beneuolentiam nunquam uio-*

lant. Timō ille Miſanthropos, qui ab omni humanitate dicitur abhorruiſſe, habere ſe odio homines aiebat, quòd mali eſſent, ac malos nō odiſſent: ipſe tamē uſq; adeò immanis ac ſæuus nō fuit, ut apertè ſuum odiū in homines profiteretur ſine cauſa. Inimicitia aūt ipſa ex indomita quadā animi cupiditate, duricieq́; naſcitur, quæ non modò alijs plurimū nocēt, ſed animum prius ipſum exedit. Et quemadmodum amicitia leni quadam ſuauitate amicorum animos delinit, & mãſuefacit: ita odium efferatos reddit. Quapropter ab eo ingentia mala naſcuntur, uitiaq́; uix numerabilia. Nec enim Abelem Cainus, ut à noſtri odij origine exordiar, occidiſſet, niſi eum prius odiſſet: nec Sylla & Marius populo Romano clades tantas intuliſſent, niſi eos inimcitiæ exagitaſſent: nec Thomyris Scytharum regina tam crudeliter Cyrū necaſſet, eiusq́; caput inutrem ſanguine oppletū incluſiſſet, niſi odio eſſet in eū efferata. Ac ne plurium exempla in medium adducam, odiū ſanè omne teterrimum uitium eſt, multorumq́; malorum cauſa. In primis, quia humano generi fit iniuria, dum tui ſimilē odio perſequaris: deinde quòd ipſe tibimet noces, animumq́; cura ulciſcendi ac ſceleris conſcientia torques, id quod te reddit Deo infeſtiſsimum. Nam quo pacto te fore illi gratum ſperes, ſi eiuſdem præceptorū caput, id eſt charitatē, non habueris? Bene quidem Ioannes apoſtolus: Si

quis

quis dixerit quòd Deum amat, fratrem autẽ ſuum oderit, mendax eſt. quoniam qui diligit, ex Deo eſt: qui non diligit, nec Deum nouit. & qui fratrem ſuum odit, homicida eſt. Declinanda eſt igitur omnis inimicitia, nullúmque nobis infeſtum eſſe patiemur, ſi benignitate noſtra leniri, officijsq; prouocari poteſt. Sin autem malum malo reddere uelimus, nunquam erit odij & inimicitiarum finis. Adde, quòd ex inimicis uel hoc utilitatis capi poteſt, ut rectè monet Plutarchus, quòd ab ijs quaſi æmulis admonitus, bonitate tua ipſos uincere ac tibi conciliare potes: quodq; tibi magis illorum cauſa circumſpicies, ne quam ijs maledicendi, detrahendíque occaſionem præbeas. Præcipuè tamẽ nos ipſi cauere debemus, ne in cauſa inimicitiæ ſimusn, éue aut contentione, aut nocumẽto aliquo quenquã à nobis abalienemus. Eſt et aliud amicitiæ uitium contrarium, quod quamuis æquè pernicioſum non ſit, deprimit tamen animum, ſeruilémque facit. Idem aũt eſt Adulatio: qua nihil eſt deiectius, nihil homine indignius. Nam apertæ quidem inimicitiæ monent quodammodo aduerſarium, cauereq; ſibi eum faciunt: at uerò adulatio, occultum eſt inimicitiæ genus, quod ueluti occultus morbus latenter lædit. In adulatione uerò mala hæc bisq; plura inſunt, quòd nulla boni malíue diſtinctio habetur, cum omnia æquè ab adulatore laudentur;

ſiue rectè, ſiue malè agas: quòd cuncta in bonam partem conuertantur: quòd nihil certò uereq; agnoſcas, cum perpetuò decipiaris: quòdque magno tuarum rerum ſumptu hæc fiant. Quid enim aliud à te adulatores expectant, dum placere tibi ſtudent, dum deliria & ineptiam tuam laudant, dum tibi uerbis fallacibus blandiuntur, dum omnia tua probant, nunquid de te rectè ſentiunt, aut ſincero animo id iudicant? Minimè hercle. Imò uerò id ſolum quod Gnato Terentianus:

Omnia habeo, nec quicquam habeo: nihil cum eſt,
nihil deſit tamen.

Ditari ergo tuis bonis cupiunt: & quod peius eſt, interim quid ſentiant, non tacent.

Eſt, inquit, genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum uolunt,
Nec ſunt. hos conſector: hiſce ego non paro me ut irrideant, (mul.
Sed his ultro arrideo, & eorũ ingenia admiror ſi
Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoq;.
Negat quis, nego: ait, aio.
Poſtremò, imperaui egomet mihi, mus.
Omnia aſſentari: is quæſtus nunc eſt, multo uberri

Quid poteſt miſerabilius excogitari? quàm ita hominem ſuo ſumptu eſſe alijs ludibrio? aut quid ineptius, quàm alicuius uoluptati inſeruire? Miſerrima eſt

ma eſt igitur adulationis ſeruitus, & ei qui adulatur & illi cui fit aſſetatio. Eſt aũt illa, ut Theophraſtus definit, cõſuetudo turpis, ei ſolum qui adulatur, utilis. Eadem, ex cupiditate, contemptuue naſcitur: quoniã utroque modo irridere alios, aſſentatores ſoleni. Ac cupiditate quis adulatur, cum ſpe lucri allicitur, alienisq; bonis quaſi coruus inhiat: contemptu uerò, cum te coràm laudat, clàm uituperat & irridet. Vtrunq; ſanè eſt ualde uitioſum, ac iniuſtum: cum oſtendere maleuolentiam apertè ſit commodius, quàm animo ſententiã occultare, alteriusq; amicum te fingere. Præclare quidem Diogenes, in adulatione amicitiæ nomen eſſe duntaxat inſcriptũ aiebat, tanquã in ſepulchro: quòd ea nihil aliud quã occulta inimicitia ſit, quæ ſpe lucri amiſſa aut in rerum difficultate in lucem prodit. Eo fit, ut magna difficultas ſit amicum ab adulatore dignoſcendi: cũ uterq; officioſum ſe præſtet, uterq; amicus eſſe, ac tuis commodis inſeruire uelle uideatur. Sed illud eſt permagnum huius diſcriminis argumentum, quòd amicus non ut placeat, ſed ut rectè moneat, tibi loquitur, aperteq; quid ſentiat profert: contrà adulator, uehementer te coràm laudat, quæcunque agas probat, ac ueluti chamæleon ſeſe in tuam identidẽ formam conuertit, nec tibi unquam repugnare audet. Hoc nos bene monuit Pythagoras, qui gaudendum eſſe potius repugnantibus aiebat, quàm aſſentantibus:

flammetur, & angatur. Ab hoc uno uitij genere infinita alia naſcuntur, ad quæ homines effrenatæ cupiditatis incitãtur, ut rapinæ, cædes, fœnora, ſuppoſitiones teſtamentorum, proditiones, bella, contentiones, aliáq; huiuſmodi, quæ perpetrare homines ſpe lucri ſolent. Indicauit hoc illa fœmina Demonica, quæ patriã Epheſum à Gallis obſeſſam duci eorum Brenno prodidit, ut eius torques aurei, ac monilia ſibi darentur. Quam ob cauſam Timon, is qui μισάνθρωπος ab inhumanitate appellatus eſt, inſatiabilitatẽ hãc malorũ elemẽta nominabat, quod ex hac nimia habendi cupiditate, infinita mala exoriantur. Nam omniũ profectò cupiditatum finis eſt, ac modus aliquis, cum rei auiditas expletur. at uerò auaritia nunquam extinguitur: ſed uelut ignis ſubiecta materia, ita opum incremẽto magis augetur. Semper ergo turpis eſt auaritia, ſemper abiecta & timida: quodq; ſummũ eſt uitiũ, Deo ingratiſſima. Et cum tres ſint illius partes ab Ariſtotele commemoratæ, turpis quæſtus, tenacitas, & illiberalitas, quam κιμβηκίαν appellat: nulla profectò earundẽ uacare poteſt iniuſticia. Nã turpitudinem quæſtus iniuſtam eſſe, nemo dubitat. cũ eius cauſa quæcũq;, & quomodocunq; poſſit, lucrari uelit auarus: ut in fœneratoribus, mercatoribus, piratis, raptoribuſq; omnibus cernimus. Tenacitas uerò quamuis non adeò perniicioſa eſt, nihil tamen honeſte ac decenter

fieri

fieri permittit, dum omnibus uult parcere, uel neceſſarijs etiam. Cuiuſmodi eſt illa ſenis Plautini in Aulularia, qui ut nihil conſumeret, tamen inuentum theſaurum adeò ſeruabat, ut ei uni totus inuigilaret. Illiberalitas demum magnopere iniuſta eſt, cum nec decorum, nec temporis occaſionē, nec rerum honeſtarum uſum conſideret, dum parciſſima eſſe uult. Hanc propterea uitæ ſordes, ægritudo, puſillanimitas, deiectio animi, immoderatio, uilitas, odium in homines, turpiſſimiq; affectus alij conſequuntur. Auaritiæ conraria eſt prodigalitas, quā ἀσωτίαν Græci uocant: quæ tametſi uitioſa eſt, & liberalitati cōraria, illi tamē aduerſatur. Eadē uerò uitium Ariſtoteli dicitur, quod ad immoderatè dandū, ac ſine cauſa rationi congruente, hominem inducit. Nā ut auaricia nimia eſt in accipiendo, retinendoq; ſemper: ita luxuries in profundendo modū omnē exuperat. Vtraq; uerò ualde uitioſa eſt, & à ratione auerſa. Sed luxuries auaritia eſt longè cōmodior, ac liberalitati ſimilior, quoniā alicui prodeſt: et qui prodigus eſt facilius ad liberalitatem reuocari poteſt, quàm auarus. Quemadmodum in Euangelio, exēplo eſt iuuenis ille prodigus, qui cum omnem hæreditatem exediſſet, tandem reſipuit, & in patris gratiam redijt: cōtrà uerò diues auarus, inferni pœnas nō effugit. Porrò omnis prodigalitas ex immoderata dandi auiditate proficiſcitur:

tur præcipuè in iuuenibus, qui rerum ignari, nullis ſumptibus parcũt, neq; ante ſeſe colligũt, quã egeſtatis ui cogãtur. Quapropter *uitiũ hoc ſolum ipſi prodigo incõmodum eſt, nõ alijs, in quos beneficia cõferuntur.* Niſi *fortè ab alijs rapiamus, quod alijs ſit dãdum. tunc enim duplici de cauſa peccatur: & quòd nobis ipſis, & quòd alijs affertur incõmodũ.* Hinc *perſpicuum eſt, multa prodigalitati uitia eſſe cognata: quæ prodigus non committeret, ſi bonis moderatè uteretur: ut ſunt, libidò, cupiditasq; rerũ multarum, de quibus ſuo loco dicemus.* Expoſita *uitiorum liberalitati contrariorum ratione, ad magnificentiam nos conuertamus: quæ quamuis à quibuſdam fortitudini ſubijciatur, propriè tamen liberalitati annectenda eſt: quoniam non ad animi magnitudinẽ, in qua cernitur fortitudo, ſed ad actiões magnificas refertur.* Itaq; *magnificentia liberalitati debet coniungi, cum circa idem ſubiectum uerſetur. non magnanimitati, ſeu fortitudini, à qua ſuam originẽ deducit.* Eadẽ *præterea* Ciceroni *definitur rerum magnarũ & excelſarum, cũ animi ampla quadã & ſplendida propoſitione, agitatio, atq; adminiſtratio: magnificus uerò is, qui magna et admirãda facit.* Quales *ſunt ij qui templa ædificant, familiam alunt ampliſsimã, egenis omnibus ſubueniunt, eiuſmodiq; alia tum cõmoda, tum magna adminiſtrãt.* Ex *quo ſequitur, ut cum magnificus largitionis magnitudine*

gnitudine excellat, nec magna ſolum animo comprehendere, ſed exequi etiam debeat, pauper eſſe non poßit, ut Ariſtoteli placet. Quapropter illam regibus, principibus, uiriſq; ampliſsimis tantummodo concedit. In qua tamen modum, ut in liberalitate, ſeruari iubet, ne opes exinaniãtur. Sed ut hãc nos Ariſtotelis ſententiam examinemus, uidendum eſt, nunquid magnificentia uerè diuerſa ſit à liberalitate: an cum eadem confundenda, cum circa ſubiectum idem uerſetur. Equidem hoc unum magnificum à liberali differre arbitror, quòd amplior ſit largitio in magnificentia, quàm in liberalitate. Officia uerò uirtutis utriuſque omnino eadem ſunt. & qui liberalis eſſe uult, animum magnifici debet habere: & qui magnificus, liberalis. Quamobrem una uirtus erit utraque: niſi quòd liberalitas, ſi minus demus, uocetur: magnificentia, ſi plus. Cæteroqui uoluntas benefaciendi, conferendiq; beneficij cautio, et ratio eadẽ eſt. Nec enim Gilias ille Agrigẽtinus, quem ſuprà commemoraui, dum egenis & hoſpitibus fortunas omnes ſuas cõmunes faciebat, magnificus potius, quàm liberalis fuit: ſi eius animum conſideremus. Nec Alfonſus decimus Hiſpaniarũ rex, is qui tabulas Aſtrologicas ſcripſit, noſtriſq; leges tulit, magnificus magis dici, quàm liberalis debuit: dum in omnes ſibi ſubditos largißmus erat, dum templa ampliſsima et ornatißima extruebat,

tuò copulantur, exoritur. Hæc iuſticiæ cõiuncta eſſe dicitur: quoniã ut debitũ creditori, ita noſtro generi beneuolentiam debeamus: & qui odio alios habeat, iniuſtus & imhumanus cenſeatur. Quo fit, ut omnibus animantibus beneuolentia erga ſuum ſimile ingenita à natura ſit: eaq; hominib. præſertim qui non ui ſolũ naturæ, ſed Dei etiã præcepto ſeſe mutuò debent deligere. Quocirca rectius amicitia Ariſtoteli dicitur beneuolentia quædam, minimè latẽs in animorum affectione: quoniam uidelicet neceſſe eſt mutuò ſeſe homines amare, idq; minimè latenter, ut uera exiſtat amicitia. Vnde nec in belluis amicitiam ille ponit, ſed beneuolentiam, quam itidem animatis ſolum rebus attribuit, nõ anima carentib. in quibus eſt ſolum ſympathia, & ſimilitudo. Quapropter hi ſunt amoris gradus unicuiq; rei à natura cõſtituti, ut inanimes res mutua ſympathia conſeruentur: animantia bruta, beneuolẽtia erga ſuum genus: homines nõ tantum ijs omnibus, ſed amicitia quoq;, quæ cum ratione ac uirtute cõiungitur. Porrò ſedes amicitiæ quamuis in appetitoria facultate ponatur, ratiõi tamẽ adhæret: quod amicitia nõ impetu cupiditatis naturalis, ſed ratione moderanda eſt, quæ illã magis confirmat. Quo nomine magnũ amicitiarum eſt diſcrimen, magna uarietas, cum non omnis beneuolentia ueram efficiat amicitiam: nec quicunq; amat, uerus ſit amicus. Triplex enim

eſt genus eorum quæ amantur, uel iucũdum, uel utile, uel honeſtum. Iucundum quidem, et honeſtum, ueluti finis expetitur: quoniam alijs honeſtas, alijs uoluptas magis probatur: utile aũt nunquam propter ſeipſum, ſed ob aliud diligitur. Hinc oritur triplex amicitiarũ genus (*nam ab amore amicitia naſcitur, & amorũ diſcrimẽ differre amicitias facit*) *unum eorũ qui uoluptatis cauſa amant, ut pueri & adoleſcentes: alterum illorum qui propter utilitatem, ut mercatores, atq; adeò ij omnes qui ſpe lucri deuincti inter ſe ſunt: tertiũ deniq; eorum, qui ſola honeſtate ſeſe diligunt* Ex his *omnibus nullum eſt ueræ amicitiæ genus, præter illud quod honeſtate conciliatur: reliqua uerò duo ficta ſunt, facileq; diſſoluuntur.* Nam *qui uoluptatis cauſa diligit, eadem expleta, ſatiatur, ac deficit: qui uerò utilitatis, hac adepta, frigeſcit. at qui honeſtatis nomine colit amicitiam, is conſtans, is uerus amicus eſt qui non modò in hac uita amare non deſiſtit, ſed poſt mortem etiam: ut apud Ciceronem Lælius, erga demortuum Scipionem fuiſſe ſe fatetur. In hac autem perfecta amicitia, quam ſola parit honeſtas, multa ſpectanda ſunt, quæ in uulgari beneuolentia deſunt, quæq; amorem maximè confirmant.* Primum, *ut amicitia inter bonos ſit ſolum, quãdo ipſa naſcitur ex uirtute: quæ cum in prauis hominibus non ſit, horũ profectò beneuolentia non amicitia, ſed coniuratio, ut*

ait Cicero, dicenda eſt: iis ſiquidem non honeſtatis, ſed aut uoluptatis, aut ſui commodi cauſa copulantur. Huius generis illi erant, qui cum Catilina coniunctiſsime uixiſſe à Saluſtio dicuntur: itemq; graſſatores, ac latrones omnes qui inter ſe ſocietate deuincti ſunt. Præterea cū in amicitia animorū ſumma cōſenſio poſtuletur, amiciq; ſibi Platonis præcepto debeant æque bene uelle, non poteſt illa niſi inter æquales ac ſimiles exiſtere. pares enim cum paribus, ut in prouerbio eſt, facillime congregantur: & amicitia plerunque ex morum ac uitæ ſimilitudine æqualitateque naſcitur. Nec uerò inter principes ac ſubditos, aut inter ſummos & infimos amicitia uera eſſe poteſt: cùm neque ipſorum æqualitas, neque ſimilitudo ſit aliqua. Certè in hoc eſt uirorum principum conditio planè miſerrima, multùmque deploranda, quòd nulli magis adulatorum illecebris irretiuntur, falluntúrue, quàm illi: dum ne deſipere quidē unquam ac ludere poſſunt, quin ab aliis id quaſi prudentiſsime factum laudetur. Nec minus miſeri ii ſunt, qui, eorum uoluptati inſeruientes, ſeque ipſis deuinctiſsimos fingentes, ſeruitutem abiectiſsimam ſeruiunt. Spes nimirum lucri eos obcæcat, fauoris ſpectatio delectat, ſuperba beneuolentia tenet ſuſpenſos, quouſque magno ſuo malo pœnas ſtultitiæ ſuæ pendant. ut præclarè Horatius,

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuet.

Ergo cum æqualis officiorum gratitudo, æquales uoluntates, ac uitæ æqualitas inter maiores atq; inferiores non ſit: relinquitur ſanè, amicitiam inter eoſdem eſſe non poſſe, in qua nihil prius eſt, quàm ut æqualitas animorum ſit. Eſt & aliud in amicitia præceptum, itemq; à magnis philoſophis traditum, & experimento confirmatũ, Amicitiã ueram inter plures eſſe non poſſe: quia, ut fluuius, ſi multos in riuulos diducatur, anguſtior, minorq; fit, ac tandem exinanitur: ita qui multis amicus eſſe cupit, neminẽ diligere rectè poteſt, nunquamq; fidus aut conſtans amicus erit. Eo *ſit, ut pauci ueri amici ab antiquis celebrentur, paucioresq; nũc ſint: præterquam illa apud omnes celebrata amicorum paria,* Theſei *&* Pirithoi, Achillis *&* Patrocli, Oreſtis *ac* Pyladis, Pythiæ *&* Damonis, Epaminondæ *ac* Pelopis: Dauidis *ac* Ionathæ, *quos Sacræ literæ plurimùm amicitiæ nomine commendant.* Attamen *nec amicitiã multorum ita fugiendam arbitramur, ut amicum unũ, reliquos inimicos habeamus: ſed quòd in amore magnam cuiuſq; habere rationem oporteat, neq; omnes ex æquo diligamus.* Nam *unũ ſemper nobis deuinctiſsimũ quaſi nos ipſos, habebimus: reliquis uerò tantum bene uolemus, ut de* Scipione Africano *dicitur, qui nunquam è foro domum prius redibat,*

quàm

quàm a licuius beneuolentiam ſibi conciliaſſet. Sed quoniam de amicitia multa uerba fácimus, nec ſatis adhuc eius diſcrimẽ do uimus, diuerſos eſſe amoris gradus inter homines putãdum eſt, quos naturæ ui quadam tueri, colereq; debent. Primus eſt parentũ ac filiorum, ſecundus fratrum & propinquorum, proximus beneficorũ ac ciuium, poſtremus hominum omnium. Sed his omnibus uera amicitia lõgè antecellit, quæ uel parentum amorem ſæpe ſuperare ſolet. Cum amicum pro amico libenter mortem ſubire uoluiſſe legamus, ut de Damõe ac Fythia Pythagoricis memoriæ proditum eſt: quorum alter cum mortis uadimonium pro altero ad tempus conſtitutum ſuſcepiſſet, alterq; ut amicũ illo ſolueret, ad idem tempus rediſſet, ſeſe morti animo libenti obtulit. Hoc ipſum de Pylade atq; Oreſte narrant poetæ, qui apud Tauricam Dianam enixè de morte ſubeunda contendebant. quod Ouidius de illis cecinit eleganter:

re iubet Pylades charum periturus Oreſtem:
Hic negat, inq; uicem pugnat uterq; mori.

Nec uerò hanc tam raram, támque præſtantem amicitiam facile reperiri putamus, quæ longo amoris uſu confirmari debet: ac priuſquàm ad eam perfectionem perueniat, multi (ut ait Ariſtoteles) ſalis modij ſunt nobis edendi, ſed nos perfectam uerámque amicitiam deſcribimus. In eo uerò cuncti ſic

præcipiunt, ut initio tardi ad amandum ſimus, contineamusq; impetum cupiditatis: ut perſpectis illius, quem diligimus, moribus, nos eidem aſtringamus, ne magis impetu quàm conſilio fieri amici uideamur. Amicos enim, non quoſcunque, ut rectè Iſocrates: ſed optimos ac probatiſſimos deligere debemus. Inita autem iam amicitia, efficiendum cum primis eſt, ut conſtantes ſimus, ne more puerorum facilè diligamus, citòque amicum deſeramus. Vt enim nemo prudens de rebus dubijs quicquam ſtatuit, donec id habeat perſpectum: ita nulla ineunda eſt amicitia, quam non diligens examinatio præceſſerit, quæ & amoris impetum moderetur, & beneuolentiam diu conſeruet. Porrò in amicitijs uitandæ ſunt ſemper contentiones, ac diſſidia, itemq; amicorum contemptus: ne quod nimium familiares ij ſint, conſuetudo pariat contemptum. Vnus itaq; ſit ſemper amicorũ animus, una uolũtas, unaq; in omnibus cõſenſio, ne ex amicis noſtra culpa fiant inimici: qui plerunq; ſolent infeſtiores eſſe alijs. Nec uerò in omnib. obſequi, moremq; gerere amicis debemus, præterquã in bonis, ne participes eorum maliciæ ſimus, ſed à malo eos inſtituto reuocabimus, rectisq; conſilijs temperabimus, ne amici cauſa uirtutis officiũ deſeramus. amicis enim, ut uulgari etiam dicto circunfertur, parendũ eſt, ſed uſq; ad aras. Quod ſi uerò eueniat, ut amicus à propo-
ſito,

ſito nequeat abduci, eiuſq; cauſa peccare neceſſe ſit, ei minimè aſſentiendũ eſt & ut Cato *rectè monebat, amicitia eiuſmodi paulatim diſſuẽda, nõ diſcindenda eſt.* Totam *ergo beneuolentiæ cõiunctionem honeſtate metiri oportet, non impetu, aut utilitate: ſemperq; amico parendum eſt, niſi turpe ac uitioſum ſit illud, in quod adducimur.* Nulla *enim eſt ut ait* M. Tullius, *peccati excuſatio, ſi amici cauſa peccaueris.* Iam *cum amicos idem, ſi fieri poßit, ſentire uelimus, dubium adhuc eſt, uter ſuorum debeat plus amare, aut in quo amicitiæ uis magis cernatur.* Certè, *ſi* Ariſtoteli *credimus, in eo potius ſita eſt amicitia, ut quis amet, quàm ut ametur.* Nam *qui diũ amatur, minimè redamat, non amicus, ſed beneuolentiæ ſimulator eſt.* Quapropter *æquam utriuſq; beneuolentiam eſſe debere* Plato *iubet, ut nemo alterum amet plus quã alter.* Quod *ipſum ſacrarum literarum oraculo præceptũ nobis eſt:* Diliges *proximum tuum, ſicut te ipſum.* Sed *de amicitia hæc quidem hactenus: de qua* Plato, Ariſtoteles, Ciceróque *multa accuratè diſputant.* Amicitiæ *contraria eſt inimicitia, qua nihil humão generi pernicioſius, nihil* Deo *magis ingratum eſt.* Vt *enim omnia amicitia conſeruantur, ita odio diſſoluũtur ac pereũt: & qui alijs imimicus eſſe uult, is omnem humanitatem deponit, belluiſq; ipſis deteſtabilior eſt, quæ mutuam ſui generis beneuolentiam nunquam uio-*

 lant

lant. Timō ille Miſanthropos, qui ab omni humanitate dicitur abhorruiſſe, habere ſe odio homines aiebat, quòd mali eſſent, ac malos nō odiſſent: ipſe tamē uſq; adeò immanis ac ſæuus nō fuit, ut apertè ſuum odiū in homines profiteretur ſine cauſa. Inimicitia aūt ipſa ex indomita quadā animi cupiditate, duricieq; naſcitur, quæ non modò alijs plurimū nocet, ſed animum prius ipſum exedit. Et quemadmodum amicitia leni quadam ſuauitate amicorum animos delinit, & māſuefacit: ita odium efferatos reddit. Quapropter ab eo ingentia mala naſcuntur, uitiaq; uix numerabilia. Nec enim Abelem Cainus, ut à noſtri odij origine exordiar, occidiſſet, niſi eum prius odiſſet: nec Sylla & Marius populo Romano clades tantas intuliſſent, niſi eos inimcitiæ exagitaſſent: nec Thomyris Scytharum regina tam crudeliter Cyrū necaſſet, eiuſq; caput inutrem ſanguine oppletū incluſiſſet, niſi odio eſſet in eū efferata. Ac ne plurium exempla in medium adducam, odiū ſanè omne teterrimum uitium eſt, multorumq; malorum cauſa. In primis, quia humano generi fit iniuria, dum tui ſimilē odio perſequaris: deinde quòd ipſe tibimet noces, animumq; cura ulciſcendi ac ſceleris conſcientia torques, id quod te reddit Deo infeſtiſſimum. Nam quo pacto te fore illi gratum ſperes, ſi eiuſdem præceptorū caput, id eſt charitatē, non habueris? Bene quidem Ioannes apoſtolus: Si

quis

quis dixerit quòd Deum amat, fratrem autē ſuum oderit, mendax eſt. quoniam qui diligit, ex Deo eſt: qui non diligit, nec Deum nouit. & qui fratrem ſuum odit, homicida eſt. Declinanda eſt igitur omnis inimicitia, nullúmque nobis infeſtum eſſe patiemur, ſi benignitate noſtra leniri, officijsq́; prouocari poteſt. Sin autem malum malo reddere uelimus, nunquam erit odij & inimicitiarum finis. Adde, quòd ex inimicis uel hoc utilitatis capi poteſt, ut rectè monet Plutarchus, quòd ab ijs quaſi æmulis admonitus, bonitate tua ipſos uincere ac tibi conciliare potes: quodq́; tibi magis illorum cauſa circumſpicies, ne quam ijs maledicendi, detrahendíque occaſionem præbeas. Præcipuè tamē nos ipſi cauere debemus, ne in cauſa inimicitiæ ſimusn, éue aut contentione, aut nocumēto aliquo quenquā à nobis abalienemus. Eſt et aliud amicitiæ uitium contrarium, quod quamuis æquè pernicioſum non ſit, deprimit tamen animum, ſeruilémque facit. Idem aūt eſt Adulatio: quā nihil eſt deiectius, nihil homine indignius. Nam apertæ quidem inimicitiæ monent quodammodo aduerſarium, cauereq́; ſibi eum faciunt: at uerò adulatio, occultum eſt inimicitiæ genus, quod ueluti occultus morbus latenter lædit. In adulatione uerò mala hæc hisq́; plura inſunt, quòd nulla boni malíue diſtinctio habetur, cum omnia æquè ab adulatore laudentur;

u 5 *ſiue*

ma eſt igitur adulationis ſeruitus, & ei qui adulatur & illi cui fit aſſĕtatio. Eſt aũt illa, ut Theophraſtus definit, cõſuetudo turpis, ei ſolum qui adulatur, utilis. Eadem, ex cupiditate, contemptuue naſcitur: quoniã utroque modo irridere alios, aſſentatores ſolent. Ac cupiditate quis adulatur, cum ſpe lucri allicitur, alienisq; bonis quaſi coruus inhiat: contemptu uerò, cum te coràm laudat, clàm uituperat & irridet. Vtrunq; ſanè eſt ualde uitioſum, ac iniuſtum: cum oſtendere maleuolentiam apertè ſit commodius, quàm animo ſententiã occultare, alteriusq; amicum te fingere. Præclare quidem Diogenes, in adulatione amicitiæ nomen eſſe duntaxat inſcriptũ aiebat, tanquã in ſepulchro: quòd ea nihil aliud quã occulta inimicitia ſit, quæ ſpe lucri amiſſa aut in rerum difficultate in lucem prodit. Eo fit, ut magna difficulas ſit amicum ab adulatore dignoſcendi: cũ uterq; officioſum ſe præſtet, uterq; amicus eſſe, ac tuis commodis inſeruire uelle uideatur. Sed illud eſt permagnum huius diſcriminis argumentum, quòd amicus non ut placeat, ſed ut rectè moneat, tibi loquitur, aperteq; quid ſentiat profert: contrà adulator, uehementer te coràm laudat, quæcunque agas probat, ac ueluti chamæleon ſeſe in tuam identidẽ formam conuertit, nec tibi unquam repugnare audet. Hoc nos bene monuit Pythagoras, qui gaudendum eſſe potius repugnantibus aiebat, quàm aſſentantibus:

drentiam, ueritatem, gratitudinem, liberalitatem, amicitiam: ſic earum unicuiq; contraria uitia ſubiecimus, ut religioni impietatem, pietati in parẽtes contrarium quoddam uitium ſine nomine, obediẽtiæ ſuperbiam, ueritati mendacium, gratiæ ingratitudinem, liberalitati auaritiam & luxum, amicitiæ inimicitiam. Ac de his ſanè uirtutibus, uitijsq; cum multa ſparſim dixerimus, nihil eſt quod explicatione indigere nunc uideatur. Iam cum alias partes iuſticiæ commutatricis, quæ hominum conſuetudine conſtant, eſſe retulerimus, ut emptiones, uenditiones, eiuſmodiq; alia: iureconſultis hæc commiſimus, ad quos tota tractatio hæc ſpectat: ita nunc illorũ deprauationes, uitiaq; eiſdem relinquimus. Ex quibus omnibus conſtat, de uitijs tantum uniuerſæ ac priuatæ iuſticiæ contrarijs, hic eſſe differendum: idq; breuiter, ne rem latius propagemus. Eadem autem uitia hæc ſunt: Legum uiolatrix iniuſticia, legali contraria iniquitas, æquitati aduerſa: non distributrix, cum qua pugnet distributiua: non commutatrix, cum qua commutatiua. Ergo legum uiolatrix iniuſticia eſt ea, quæ leges & inſtituta populorum uiolat. eademq; diuerſis ex cauſis fieri poteſt: uel lucri cupiditate, uel in latrocinijs: uel ex odio, ut in homicidijs, aut quacunq; demũ iniuria. Ad quam itidem referri tota hæc iniuſticiæ uis poteſt, quòd iniuriam alicui facere legibus prohibemur,

mur, cum eius ulciſcendæ facultas in nullo prætér-quàm in Deo aut magiſtratu ſit, qui (ut ait Ariſtoteles) quaſi lex uiua eſt. Legem uerò qui uolet uiolare, tametſi impunè id faciat, Dei tamen iudicium nõ effugiet, qui malorũ omniũ eſt uindex. Quocirca peßimũ iniuſticiæ genus illud eſt, nec immeritò à iudicibus magiſtratuq́; punitur. Et quanquã principes ab eiuſmodi legum obſeruatione eximãtur, utpote qui lex ipſi ſint: non tamen proinde ſtatutas à ſe leges aut uiolabunt, aut uiolari permittent. ut de Zaleuco Locrenſium legiſlatore ſuprà fecimus mentionem. Huic iniuſticiæ generi coniuncta eſt iniquitas, quæ adeò latè patet, ut uitiorum multorum ſit comes. Nam & iniqui communi nominè praui omnes dicuntur: ſed ij tamen propriè à nobis hic intelliguntur, qui iudicia legéſue deprauarint, aut ad uiuum (quod aiunt) reſecuerint. Tales eſſe ſolent uitioſi omnes iudices, quicunque amore, odio, largitione, muneribusq́; corrupti, falſa ferunt iudicia, aut in ijs exequendis acerbi admodum ſunt. Cum enim ſeueri legum uindices, ac uitiorum cenſores eſſe uolunt, in uitium crudelitatis incidunt, & pro ſummo iure, ſummam, ut ait Comicus, faciunt iniuriam. Manlius Torquatus, is qui filium, uirum fortißimum, quod iniuſſu ſuo cũ hoſte dimicaſſet, ſecuri percuti iußit, non modò belli ius minimè cõſeruauit, dum filij cæde legẽ à ſe latam ſtabilire uoluit;

luit,ſed etiã iniuſtißimus extitit:cũ multæ ſæpe leges ferãtur,nõ ut pœna ab ijs propoſita in uiolatores irrogetur,ſed ut eius timore ab aliqua re caueãt. Trãſeo iã ad priuatæ iniuſticiæ partes, quarum eſt prima,nõ diſtributrix:quæ cũ proprio nomine uacet,re tantũ intelligitur.Hæc cõtra quàm diſtributrix,nulla iuris & honeſtatis habita ratione, quod ſuũ eſt nulli reddit.ut ſi qua in repub. ſcelerati minimè puniãtur,boni uexemur,& à deteriorib.affligãtur:quod apud Athenieñſes fieri ſolere Xenophõ in eorũ reip.deſcriptiõe teſtatur.uel ſi princeps adulatores & nefarios homines opib.ditet, ornet dignitatib.probos aũt negligat,aut etiã inſectetur, atq; opprimat.Huius generis ſunt tyranni omnes, quiq; iura omnia peruertũt,ac pro libidine ſua cõfundunt,cum ea potius exẽplis & auctoritate deberent cõfirmare.Huic formæ iniuſticiæ affinis eſt altera,quæ quoniam in cõmuni hominum uita negotijsq; cernitur,commutatrici iuſticiæ contraria eſt, ſiquidem aut ex æquo quod alijs debet,non reſtituit:aut nec acceptum reddit omnino.Ab hac rapinæ, furta,uſuræ,fraudes,cupiditatesq; iniuſtæ exoriuntur.Et cum iam omnia hominum inſtitutione in poteſtatem priuatorum uenerint,quæ tamen cõmunia prius fuerant,ſi quis uelit priuatis quaſi communibus uti,aut communibus(quæ aliqua nunc ſunt, ut ſol,aer,aqua,uiæ)pro priuatis, iniuſtißimus profectò

ſectò ſit. Quocirca nihil alienum eſt uſurpandum, nihil ui, fraudéue ſurripiēdum, nihil depoſitum denegandum, nihil deniq; publicè aut priuatè iniuſtè capiendum. Contrà qui hæc faciat, iniuſtiſsimus planè erit: ac non Dei tantum iudicio, ſed hominum etiam legibus damnabitur. Niſi fortè recta ratio differri debitum, aut negari depoſitum doceat, cū incommodam creditori reſtitutionem fore putamus: ut de illo præcipi ſolet, qui commiſſum alicui gladium iratus repetit: ac de tutore, qui pupilli hæreditatem ante maturæ ætatis annos nolit reſtituere. Sed harum omnium iuſticiæ partium una eſt radix iniuria, ex qua illæ, ut rami, pullulant. Nam quicunque leges uiolat, uel iniquus eſt iudex, aut nihil cuiquam dignum pro meritis tribuit: uel in ciuilibus commercijs fidem non ſeruat, aut aliena ſibi bona uendicat, is demum illis infert iniuriam. Superioribus partibus adiungi quoddam aliud genus iniuſticiæ poteſt, quod cæterorum eſt maximè pernicioſum: hoc eſt, bellum quo nihil eſt apud homines ſæuius, nihil immanius, nihil miſerabilius: cum in hoc maximè feris crudeliores ſimus, quòd hoſtili odio inter nos ſoli diſsideamus. Bellum autem ipſum ſumma eſt animorum abalienatio, ſummumq; diſsidiū, quod inter homines eſſe poteſt. Idemq; tametſi amicitiæ contrarium eſſe uideatur, tamen ab iniuſticia potiſsimùm enaſcitur: ideoq; ad locum hunc eius explicatio

plicatio pertinet. Nã cũ à duob. æquè iuſtè bellũ ge
ri nõ poßit, ſed uel ab utriſq; iniuſtè, uel ab eorũ al-
terutro: fit, ut iniuſticia uacare nequeat, quãuis per
ſe neutrũ exiſtat, iuſteq; poßit nonnunquã admini-
ſtrari. Eius uerò ſuſcipiẽdi magna debet cautio ad-
hiberi, ne ad eius ſæuitiã noſtra iniuſticia accedat,
quæ illud reddat lõgè deterius. Itaq; bellũ qui iuſtè
gerere uolet, in primis eũ ſibi finẽ proponat: ſuſci-
piẽdũ illud eſſe, ut in pace uiuatur, nõ ut humani ge
neris cædem tantummodo exerceamus. Hoc iam
fine propoſito, cauſa quoq; ſuſcipiendi eius ſpectã
da eſt: nec cui bellum ultro indicemus, niſi iuſtis de
cauſis, ne ſimul etiã iniuriam inferamus. Iuſti uerò
belli cauſæ duæ à Cicerone aßignãtur. prima, ſi re-
bus repetitis geratur: ſecunda ſi ſit antè hoſtibus in
dictum. Sed hæ mea quidem ſententia ueræ non
ſunt, niſi iuſtior alia belli cauſa adducatur. Nam
poßint tres utrinq; repeti, aut bellũ antè denuncia-
ri, nec tamen proinde iuſta erit cauſa. Cum popu-
lus Romanus de Græciæ imperio cũ Philippo cer-
tabat, aut de Hiſpania cum Pœnis, ſi nullam habuit
cauſam potiorem, cur illis bellum intuliſſet, quàm
quod ea imperia repetere, aut ijs bellum indicere
prius uoluit, iniuſtus certè fuit. Quocirca iuſtæ cau
ſæ erunt, ſi uel iniurias ulciſci, uel quod eſt ui nobis
ademptum recuperare nitamur. Superioris generis
erit exemplum: ſi legati noſtri cõtra ius gentium ab

alijs cædantur, aut ignominia afficiantur. ut ij qui à Dauide ad Hanonem Ammonitarum regem conſolandi eius cauſa ob patris mortem miſsi ſunt, ac præciſis ueſtibus ad nates, raſaq́; barbæ dimidia parte (quod apud illos erat turpiſsimum) remiſsi. Cui etiam adiungi aliæ iniuriarum formæ poſſunt: ut ſi qua ciuitas, natióue hominum ſceleratorum audaciam, & iniuriam alijs illatam defendere conetur. Secundi uerò ſunt bella illa, in quibus aut urbes iniuſtè captas, aut reliqua per uim ablata, reſtitui nobis uolumus. Cuiuſmodi fuere illa, quæ ab Hiſpanis olim pro repetenda Hiſpaniæ magna parte, quæ Iuliani proditione à Mauris fuerat occupata, gerebantur. Cum ergo iuſta belli cauſa intercedat, ut noſtræ magis iuſticiæ ratio appareat, per legatos noſtra repetemus, ut per fæciales olim Romani: tum bellum ipſum denunciabimus. In quo quidem gerendo tametſi iniuſtè fieri inſidiæ hoſtibus uideantur, nihil tamē in ijs eſt uitij. Quin etiam dum bellum adminiſtratur, omnia ferro & incendijs uaſtare minimè debemus, ut Gotthi olim, barbaræq́; nationes ſolēt: ſed ſeruata multitudine, ſontes puniemus. niſi fortè id adeò neceſſarium ſit, ut finis belli alioqui nunquā ſit futurus. quod ſæpe Deus Iſraelitico populo præcepit, ut ad internecionem omnes cæderet. Semper ergo, niſi res aliter poſtulet, clementia in deuictos utendum eſt: ſemperq́;, ut Roma-

ut Romani dicere ſunt ſoliti, oportet,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Satis enim per ſe truculentum eſt bellum, etiam ſi ad illud ſæuitia noſtra non accedat. Ad belli præterea æquitatem, ſingulorum qui in eo uerſantur officia adiungenda ſunt: ut ducum, militum, ac cæterorum. Nam duces quidem, ad quos tota belli ſumma pertinet, temperare ſibi cum primis debent: ne dum milites à uitijs coercere uolunt, ijdem ſibi nequeant imperare. Alexander Macedonum rex, Dario uicto, eiusq; uxore ac filiabus pulcherrimis captis, ab ijs ſeſe abſtinuit, cum ab amicis ad eas uitiãdas inuitaretur: Turpe eſſe dicens, uinci eum à fœminis, qui uiros ſuperauiſſet. Milites autem, qui ſoli debent hoc pugnandi munere uti, & ad id ſunt ex Rep. uniuerſa delecti, nihil crudeliter, niſi in ipſo conflictu, agent: nihil furabuntur, nulli uim inſerẽt, præterquam repugnãti: & ut ijs diuus Ioannes præcepit, contenti ſuis ſtipendijs, nemini facient iniuriam. Ad ſummam, reges ac principes, qui ſoli ius belli ſuſcipiendi habent, pacem bello quærent, nec niſi coacti ad illud impellentur: ne iniuriam magis ulciſci, resq; ſuas uelle repetere, quàm inferre alteri, alienaq; rapere uideantur. Sed hæc de iuſticia, & eius formis ſatis.

De toto genere fortitudinis.
Cap. 18.

Tertium uirtutis genus eſt fortitudo, ad quã, ſicuti ad ſuperiora genera, permultæ uirtutes aliæ referuntur: de quib. ſingulatim diſſeremus, explicato prius earũ toto genere. Fortitudo *à multis uariæ definitur. ut ab* Ariſtotele, *uirtus iraſcibilis facultatis, qua non facilè ira perturbamur: à* Platone *uerò, habitus, qui timore non perturbetur: à* Cicerone, *conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio.* Eadẽ *tamen rectius, uti nobis uidetur, eſt animi affectio, qua incommoda omnia damnaq; rerum non in noſtra poteſtate ſitarũ perferimus, ac negligimus.* Huius *ſedes eſt, ut omnibus placet, iracundia: quoniam ab eadem excitatur, nec fortitudo eſſe ſine animi concitatiõe uideatur. Mihi uerò multò magis eorum ſententia probatur, qui fortitudinem in uoluntate potiſſimùm ſtatuũt, quod tota eius uis in dolore perferendo, ac periculis ſubeundis conſiſtat.* Quanquam *enim aliqua iracundiæ commotio ad actionem fortitudinis poſtuletur, eadem tamen eſt uoluntaria: nec plus efficere illius impetus poteſt, quàm uoluntas, & conſilium.* Proficiſcatur *igitur per nos ab utraq; fortitudo, uoluntasq; præſit quaſi ſeſſor: iracundia ut equus refrenetur, & ad eius præſcriptum moueatur.* Huius *porrò ſubiectum ſit, terribilium rerum metus:*

metus:finis uerò nõ honeſtus,ut Ariſtoteli dicitur, ſed ſummum bonum libro primo ſtatutum. Atque terribilia,ut iam de ſubiecto fortitudinis agere incipiamus,cõmuni nomine putantur ea,quæ timorẽ homini inijciant,propter futuri mali expectationem. Horum cum alia plus, alia minus timoris ſecum adferant,nõ quiduis terribile fortitudini ſubijcitur. Sunt enim aliqua,quæ hominis uires omnino ſuperant:ut mors,fulmina, naufragia: quæ qui non timeat,non fortis,ſed ſtolidus eſt nominandus. alia uerò noſtris uiribus ſunt paria:ut pugnæ, contentiones,ac pericula mediocria. Ex quibus omnibus hæc tantũ fortitudini ſubiecta ſunt,non illa quæ ab homine ſuperari nõ poßint. Quoniam etiam in eiſdem periculis recta ratio, quæ uirtutem gignit, præeſſe debet:fortitudo quoq; , ut aliæ uirtutes,in mediocritate timoris & confidentiæ ponitur: ad quorum alterutrũ ſi deflectamus,in uitium incidemus. Quocirca nec pericula ſic ſunt timenda, ut animo deſpondeamus, ijsq; ſuccumbamus: nec ita rurſus audacter ſubeunda, ut inſolentes admodum ſimus: ſed medium eſt ſemper rationis tenendum, ne in uitium deferamur. His ita explicatis, officia fortitudinis exponamus.ſuo enim loco de uitijs diſputabitur. Ergo cũ tota huius uis in rerũ terribiliũ timore cohibendo uerſetur,uidendũ quidẽ eſt, qua ratione uir fortis ſeſe gerat,uel quod ſit ueræ forti-

tudinis munus. Hoc enim expoſito, de toto eius genere ſatis diſputaſſe uidebimur. Duo ſunt fortitudinis officia, quæ in mediocri periculorum tolerantia cernuntur. unum ſuſtinendi, alterum aggrediendi Suſtinendo quis fortis eſſe dicitur, ſi pericula, resq; aduerſas æquo animo perferat. Aggrediendo autem, ſi difficilia, eaq; honeſta, Dei cauſa ſubeat, nec eis propriam ſalutem anteponat. Ex his duobus potiſſima fortitudinis uis eſt, ut pericula, resq; aduerſas toleremus. Ideoq; magno & elato animo uiri fortes eſſe debent, quando in eo uera fortitudo cernitur, non in uiribus corporeis, in quibus à quibuſdam belluis ſuperamur. Ad hanc autem animi magnitudinem prudentia eſt, ac periculorum conſideratio adhibenda, ne quid impetu aggrediamur, nulla rei habita ratione. Qua de cauſa in Lachete Plato, quamcunque tolerantiam negat fortitudinem appellari debere, præter eam quæ prudentiæ coniuncta ſit: quam ipſam propterea timendorum & audendorum ſcientiam definit: quæ cum in belluis eſſe nequeat, nec in ipſis erit fortitudo. Hanc nos adeò perfectam & abſolutam deſcribimus, ut uirtutum aliarum cognatam eſſe aſſeramus. Nam cum duplici ratione poßit fortitudo omnis cogitari, uel ut eſt quædam animi firmitas contra omnem metus opinionem, uel ut ſubita ſuſtinendi periculi tolerantia. illa certè perfecta & uirtutib. alijs ornata

nata eſt: hæc uerò non itē, cum in affectu poſita, ſine alijs eſſe poßit. Hinc *fortè* Ariſtoteles *quinq; fortitudinis formas eſſe exiſtimauit: unam ciuilem, alteram militarem, tertiam experimento adeptam, quartam fiduciariam, ut ſic dicam, ultimam fortuitam: quoniam uidelicet quæuis periculorum ſuſceptio, perpeßioq; difficultatū, his modis fieri ſoleat. Nam qui pro patria conſtanter depugnant, ciuilem fortitudinem habent: qui ſtipendijs conducti in bello, militarem: qui ſimilium periculorum experimēto, tertiam ſpeciem: qui fiducia uincendi, fiduciariam: qui deniq; repentino aliquo caſu, fortuitā. Sed harum ſanè omnium formarū prima eſt ueræ fortudini ſimillima, quando ab honeſtate ſolum, id eſt, patriæ defendendæ ſtudio proficiſcitur. Ita fit, ut uerum fortitudinis munus in eo maximè cōſiſtat, ut externa bona, tam corporis quàm animi, præ internis deſpiciantur, & ut res magnæ infracto firmoq; animo ſuſcipiantur. Nam qui omnia contempſerit, dummodo* Dei *pareat præceptis, uirtutisq; officio fungatur, is facile fortis erit, & quæcunq;, quantūuis ardua, ſine timore poterit aggredi, ac ſuſtinere. Eleazarus quidem, ut* Sacra *hiſtoria de illo commemorat, cum populum* I*ſraeliticum ab hoſtibus circumuentum, liberare morte ſua cuperet,* Deoq; *ob ſequium hoc gratißimum exhiberet, armatus in medios hoſtes irrumpit, ut* Antiochum *eorum re-*

gem qui in lignea quadam turri elephanti impoſita erat, occideret: illoq́; cæſo, ſalutem patriæ cum morte ſua commutauit. Poſſemus in hac parte noſtrorum exempla complurima proferre, quæ magnam hominũ fortiſſimorum conſtantiam in periculis teſtarētur: ſed ne hiſtoriam potius contexere, quàm fortitudinis officia præſcribere malle uideamur, exemplo adducto ſimus contenti. Eſt & aliud officiũ fortitudinis ueræ, quod nõ bellicis in actionibus cernitur, ut ſuperiora, ſed in priuatis, in quibus non minus eius ui uti decet. Idem autem eſt, aduerſas res animo æquo ferre, iniuriam tolerare, conſtantiam in calamitatibus ſeruare, animumq́; à uitijs immotum continere. Qua de cauſa duplex fortitudinis ratio à pleriſq; ſtatuitur: una bellicarum difficultatum, altera domeſticarum. Vtraque magnam animi uim poſtulat, eaſdemq́; ferè habet cautiones. niſi quòd, dum altera in bello uerſatur, alteraq́; domi, illa ad patriæ defenſionem ſpectat, hæc ad animi conſtantiam ſeruandam. In omni tamen fortitudinis actione non tam aggredi res arduas oportet, quàm ſuſtinere etiam: ſiue eæ bellicæ ſint, ſiue domeſticæ. Quapropter uirtuti eidem partes hæ quatuor adduntur: fidentia, magnanimitas, patiẽtia, conſtãtia. Quarũ ſuperiores duæ ad periculorũ ſuſceptionẽ referũtur, reliquæ ad perpeſsionẽ. De harũ igitur ſingulis ordine propoſito dicamus.

De

De fidētia, & magnanimitate. Cap. 19.

Fidentia, ſeu fiducia, ut à Cicerone definitur, eſt, per quam magnis & honeſtis in reb. multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocat. Nam cum nos de periculo ſpem bonam concipimus, facilius quamcunq; rem aggredimur, uel ſuſtinemus. Eadem autem non ex impetu, temeritatéue naſci debet: ſed ex prudentia, quæ fortitudinis comes eſt. Prius enim quàm ad rem accedamus, iudicio eſt periculum conſiderãdum: ac ſi poſſe à nobis ſuperari uideamus, idq; uirtuti cõgruit, quãuis mortis periculũ immineat, fidendũ eſt, magnoq; animo idē ſubeundũ. Sin aũt impar ſit nobis, quod imminet, & inhoneſtum, cedere conſultius eſt, quàm temerè id aggredi. Itaq; ſemper ex iudicio debet naſci fidentia, quæ ueluti prima quædã bonæ ſpei aura, poſt diligentē rei conſideratione aſpiret, quæq; animũ iacentē excitet. Huic cõtraria eſt Deſperatio, quæ quia ex metu naſcitur, abiecta & triſtis eſt. de qua cũ plura in libro ſecũdo dixerimus, plura hic addere non oportet. Fidētiæ affinis eſt magnanimitas, quæ illã quaſi promouet, et cõfirmat. neq; enim ſatis eſt rectè cõfidere, niſi animi magnitudine illa fiducia obfirmetur. Eadē aũt Ariſtoteli dicitur uirtus animi, qua ferre honorē, ignominiã, fortunãq; uel proſperam, uel aduerſam poſſumus. A nobis tamen rectius definietur, amplitudo quædã animi ad

magnas res gerẽdas apta. Quæ cum in rebus arduis tanquã in ſubiecto cernatur, ab animo excelſo, & humana cõtemnente proficiſcitur. Vnde magnanimus, quaſi magno animo præditus, nominatur. Huius Ariſtoteles propriũ eſſe inquit, ut in motu ſit tardus ac lẽtus: ut graui uoce ac ſermõe utatur: ut collata beneficia ſe ipſo inferiora putet: ut actionibus abiectis ſeſe nunquã applicet: ut ironia quadã animi celſitudinẽ occultet: ut paucorum familiaritate utatur: ut nulla re indigeat neceſſaria: ut deniq; non tã fructuoſas, quàm amplas opes poßideat. Verùm hic ſanè magnanimus nõ tã uirtutis actione, quàm natura & fortuna quadã exiſtere mihi uidetur: id quod cũ uirtute pugnat. Ac ſi uirtus omnis in animo ſita eſt: præſertim magnanimitas: certè magnanimus eſſe aliquis poteſt, etiãſi uel opib. careat, uel comis ac familiaris in ſermonib. ſit, uel aliquãdo celerius, minusq; grauiter, ut rei poſtulet neceßitas, loquatur & incedat. Vera enim magnanimitas non in hac ſimulatione ponẽda eſt, ſed in rerum magnarum contemptu, atq; in honeſta quadam animi celſitudine, non in ſuperba & faſtidioſa elatione. Quocirca illa duabus in rebus maximè cernitur: primò, ut id ſolum, quod honeſtum ſit, bonũ iudicetur, nec externis fictisq; bonis commoueamur: ſecundo, ut ab omni perturbatiõe animus abhorreat, nec timore, cupiditate, alijsq; affectibus langueſcat. Itaq; uera magnanimitatis uis potius in magnarum rerum

con-

contemptione quàm in actione conſiſtit. Siquidem illam ex animi robore oriri ſemper neceſſe eſt, hāc uerò non item. Quapropter eiuſdem officium eſt, nulla cupiditate frangi, pecunijs aut gloria non cōmoueri, magiſtratus & honores non ambire: aduerſa omnia, quæ alijs acerba uideantur, æquo animo pati, ac nunquam de uirtutis gradu & conſtātia dimoueri. Eſt & uirtuti huic adiuncta humilitas, ſeu extenuatio cuiuſque propria: qua qui eſt præditus, etiamſi magno ſit animo, ſubmiſſius ſeſe gerit: nec, quicquid poteſt, iactat, ne arrogans ac ſuperbus fiat. Hæc eadē, quāuis magnanimitati cōtraria eſſe uideatur, eidē tamē maximè cōgruit: quoniā magnanimitas ad propriā animi uirtutē ſpectat, humilitas ad illius cōſideratā extenuationem: cū eo ſit unuſquiſq; præſtantior, quo ſe geſſerit ſubmiſſius, quantūcunq; ſit ſupremus. Quo nomine id humilitas in magnanimo uiro efficit, ut nō ſibi facile omnia polliceatur: nec ſe tamē ſubmittat, ſed cū inuicto, celſoq; animo cōtra omnes difficultates ſit, Dei tamē beneficio id tribuat, nō ſibi ipſi. Ex quo intelligitur, eū qui pub. dignitates contēnat, nec niſi aſcitus et impulſus eas ſuſcipiat, nō modò abiectum nō eſſe, ac uitioſum, ut cenſet Ariſtoteles, ſed etiam magno animo præditum, ac bonū. Putat enim ille uirtutem eſſe quandam mediam inter honorum contemptum, & ambitionem, quæ nomine uacet: quod honores magnopere deſiderare, am-

bitionis

bitionis uitium ſit, illudq́; poſitum in exuperantia: contrà uerò, nullos appetere, deiecti animi, idemq́; ſitum in defectione. Mediam denique inter utrunq; *illorum extremorum ponit moderatam bonorum cupiditatem.* Ab hac ego ſententia planè diſſentio. *nec uideo quo pacto uirtus mediocritas eſſe illa poßit: cum omnis ambitio, quamlibet moderata, uitioſa ſit.* Ac ſi magnanimi eſt, nulla tangi cupiditate, ſed humana omnia ſeipſo inferiora ducere: atq; *honoris expetitio eſt cupiditas, eaq́; ex animi elatione profecta: ne eſſe eſt illã & uitioſam, & magnanimitati contrariã eſſe* Itaq; *honores expetere, dignitates ambire, reip. muneribus inhiare, quamuis moderatè fit, tantum abeſt ut ſit uirtus, ut nihil ſit magnanimitati magis contrariũ: in qua cum omnia magna, & excelſo animo digna ſtatuamus, tanto erit uitioſior honorũ expetitio, quanto eorũ cupiditati magis animus ſubmittitur.* Niſi fortè *aliquis iuuandorum ciuium ſuorũ cauſa magiſtratum expetat, idq́; ut illis operam ſuam nauet. ſi aptum ſe eſſe ſentiat, non ut ipſe in eo honore conquieſcat.* Ergo *proprium magnanimitatis hoc eſt, ut fortunã omnẽ moderatè toleremus, honore non inſoleſcamus, ignominia nõ deijciamur, nihil demũ terribile aut arduũ admiremur.* Tali *uirtute animi* Attilius Regulus *in Pœnorũ captiuitate fuit, dum omne ſupplicionũ genus cõſtanter pertulit, ne iuriſiurandi fidẽ*

datam

datã uiolaret. Eadẽ quoq; fuit, ſed iuſtiori in cauſa, Alfonſus Perezius Guzmanus, à quo ducũ Metimnẽſium illuſtris familia oritur: qui dum Tariffam oppidum Beticæ Hiſpaniæ præſidio teneret, eamq; diu Mauri fruſtra obſediſſent, filioq; ipſius, quẽ captum apud ſe illi retinebãt mortẽ, ni oppidum dederet, minarentur: non modò animo inuictiſſimo minas hoſtium contempſit, ſed gladium etiam, quo filium ipſi iugularent, è mœnibus, in quib. erat proiecit. Quid memorẽ Ioannis ſecundi Hiſpaniarum regis magnanimitatẽ? qui cõiurantibus regni multis procerib. contra illum, eundemq; inuadentibus (erat enin tunc Metimnæ cãpeſtri) cum cæteri omnes aulici diffugiſſent, quòd nec oppidum munitum eſſet, nec præſidium aliquod habebant, aggredientibus præſertim ſubitò, ac præter opinionẽ aduerſarijs, nõ animo deſpondit, aut fuga ſalutem quæſiuit: imò uerò conſtanter planeq; regali ſeueritate illis ſeſe obtulit, auctoritateq; ſua ac maieſtate audaciam eorundem repreſſit. Magnanimitati cõtraria ſunt hæc uitia, puſillanimitas, ſeu ignauia, & timiditas: quibus illa media interiecta, nec ſibi multum arrogat, aut tumida eſt, nec deiecta rurſus, ac timida. De his ergo ipſis iam diſſeramus. Tumiditas quam Ariſtoteles uocat χαυνότητα, inanis eſt, & inepta animi iactatio, qua ut uento uela inflante intenduntur, ita animus inſoleſcit, ac tumet. Vt ſi quis

quis ſibi plurimũ tribuat: ſi prudens, ſapiẽs, bonisq́; omnibus præditus uideri uelit, ſi cæteros contẽnat. Ipſum aũt hoc uitium ex philautia, id eſt proprio amore naſcitur, multaq́; ex ſe uitia producit: ut iactationẽ, ſimulationem, pertinaciam, contentionẽ, diſcordiam, rebellionem, eiuſmodiq́; alia hominum uanorum & immoderatorum propria, quæ modeſtiſſimus quiſque ſuſtinere æquo animo non queat. Nam quis Thraſonem illum Terentianum aut ferat, quin rideat, aut ineptam eius inſolẽtiam non uituperet? Sed audi, quæ loquatur ipſe ſecum, ut ingenium eius agnoſcas:

Magnas uerò agere gratias Thais mihi?

Irridenda profectò uox, idq́; à Gnatone paraſito, qui quantum is cupit, ipſi concedit, nec adulando ſibi alter parcit, nec iactando alter. Quamobrem Plato peſſimum eſſe inquit eum amorem, quẽ græci φιλαυτίαν appellant: quoniã ut amator erga rem amatã ſemper cæcus eſt, ita ſecum unuſquiſq́; ac multo certè magis, cum à ſeipſo fallatur, quod inſcitiæ principium eſt. Vitio huic tumiditatis contraria eſt puſillanimitas, id eſt, indecens animi deiectio, per quam à laboribus imminentib fugimus, & in magnis ac pulchris langueſcimus. Hæc eadem diuerſa ab humilitate eſt: quoniam animi uis perſpecta magnitudine, periculoq́; conſiderato, quaſi uicta dat manus: humilitas autem ipſa & præſtan-

præſtãtiam animi agnoſcit, & ſibi rectè ſatisfacit, nec eſt in æſtimatione temeraria. Eadẽ in Gedeone *Iſraelitarum duce fortiſsimo commonſtrari poteſt: qui cum robuſto eſſet animo, & ad populum liberandum ab hoſtibus à* Deo *uocaretur, ipſe tamen ſeſe extenuans, ſuam ac familiæ uilitatem, infirmitatemq; obijciebat.* Ita *fit, ut ſeipſam ignorare uirtus non debeat, multoq; minus ſe iactare: id quod cum magnanimitate, humilitateq; congruit.* At *puſillanimitas (uſurpemus enim hoc minus uiſitatum nomẽ, ſignificationis cauſa) tota uitioſa eſt, totaq; ſeruilis & abiecta, cum ſæpe à magnarũ rerum actione hominem abducat, fortitudiniq; ſit inimica.* Q*uanta ſit eius turpitudo, indicauit* Sardanapalus *Aſsyriorum rex, qui ab* Arbacto *præfecto ſuo è regno pulſus, nec ei ſeſe oppoſuit, & ſibi manum in extrema deſperatione attulit.* Hoc idem Heliogabalo, *cæteriſq; hominibus effœminatiſsimis uſu eueniſſe accepimus, qui cũ in rebus neceſſarijs animo anguſtiſſimo fuiſſent, ad uoluptates tamen perfruendas toti ſeſe conuerterunt, neruoſq; omnes cupiditatis intenderunt.* Q*uæ cum ita ſint, reſtat quidem ipſam tumoris ac puſillanimitatis mediocritatem uirtutẽ eſſe: duo uerò extrema uitioſa. Sed nos his iam explicatis, ad reliquas fortitudinis partes pergamus.*

De

De patientia,& conſtantia.
Cap. 20.

*Diſſeramus nunc de conſtantia,& patientia, quæ poſtremæ ſunt fortitudinis partes,quæ quæ ad tolerantiam malorum referuntur.*Et quan-*quam ijs quatuor omnibus partibus, quas ſuprà re tulimus,in pleriſq; actionibus fortitudinis uti opor teat:neceſſeq; ſit ſæpe patientiam & conſtantiam fidētiæ magnanimitatiq; coniungi:ſuperiores tamē duæ ad primum fortitudinis quaſi motum,hæ uerò ad conſiſtentiam pertinent.*Omnes *autem perfectæ fortitudini æqualiter coniunguntur, nec demi earū aliqua poteſt,quin manca rurſus,quod fieri non po teſt,reddatur.*Sed *nos primò de patiētia diſſeramus.* Eadem *autem eſt uirtus iraſcibilis facultatis, per quam æquo animo res aduerſas toleramus.* Hanc Cicero *definit, uoluntariam, ac diuturnam rerum aduerſarum ac difficilium, honeſtatis aut utilitatis cauſa perpeßionem:nos tamen,malorum, quæ in-feruntur,aut accidunt,cum æquanimitate perlatio nem.Cuius ſubiectum eſt non periculi ſuceptio,ſed aduerſis caſus afflictio:ideoq; ipſa in uoluntate po ſita,ſicut magnanimitas,eſt,& ab iracundia ueluti adminiſtra iuuatur.*Finis *demum idem eſt qui uirtu tum aliarum:quoniam qui labores auariciæ, odij, uitijq; cauſa ſuſcipit,ac perfert,non patiens,ſed du rus appellari debet.*Qualis Catilina *à Salluſtio fu-*

iſſe

iſſe perhibetur: qui nõ ad patriæ ſalutẽ, ſed ad perniciẽ, tolerantiã illã ſuã cõuertit. Quocirca patiẽtia diuini tantũ obſequij cauſa exiſtet, quemadmodum fortitudo. Huius præterea officium in perferendis æquo animo malis cõſiſtit: idq́; uti diximus, ſummi boni cauſa. Duo aũt ſunt ea, quæ homines æquo animo perpeti debẽt. primũ, ſi iniurias illatas toleremus, alterũ, ſi aduerſos fortunæ caſus & calamitates feramus. Ferre quidẽ iniuriã, ſumma eſt uirtus, quam & philoſophi & indocti pariter laudãt: cũ in eo teipſum ſuperes, aduerſarium uincas, ac illum te eſſe inferiorem oſtendas. Nam ſi quæ iniuriæ à uulgo nominãtur, tibi fiant, ſi maledictis prouocere, uerbereris, cõculceris, omni deniq; dedecore afficiaris: iuſtus es tu qui perfers, iniuſtus ille qui facit: tu temperans & modeſtus, ille incontinens: tu magnanimus, ille abiectus. qui à cupiditate & iracundia ſuperetur. Ergo ſi affectus cohibere, ſi conſtanter uirtutis arcem tenere, ſummæ fortitudinis eſt, cõtrà uerò, rapi affectionũ unda, & deprimi, ſummæ imbecillitatis: quãcunq; profectò iniuriã patiare, fortior eris illo, qui eã inferẽdo ſe tibi ſubmiſit. Demoſthenes à quodam conuicijs laceſſitus, nolle ſe (dicebat) in illud certamen cũ eo deſcendere, in quo qui uinceretur, uictore melior eſſet. Dion Academicus, cum fortè domum è cõuiuio rediret, à maledico quodam, qui eum ſequebatur, omni conui-

ut hominem expiſcari poßim, quiduis non ferram? Sed hoc nos accuratius Chriſtus ſeruator noſter admonuit, qui maxillam unam cædēti, porrigere alteram conſuluit: ut patientia illum noſtra uincamus. Magna igitur eſt huius uirtutis uis, cum Deo & hominibus pergrata ſit, & ex animi magnitudine naſcatur. Nam ſeipſum ſuperare, neglecta iniuria, ſummæ eſt fortitudinis. Quocirca uera patientiæ actio eò pertinet, ut noſtra bonitate aduerſarij iniuſticiam ſuperemus: uindictamq́; nobis, quæ dei propria eſt, minimè aſſumamus. Hoc ferendæ iniuriæ officio non inferius eſt illud, quo fortunam aduerſam æquo animo patimur, nec calamitatibus ſuccumbimus. Vt cum quis patriæ euerſionē, exilium, repulſam, paupertatem, ſeruitutem, cæcitatēm, orbitatē parentum, filiorum, amicorum, iacturā bonorum, huiuſmodiq́; alia tolerat: in quibus perferendis ſumma uirtus animi cernitur. Nā cum hæc uulgò bona reputentur, miſerq́; iudicetur is qui fuerit ijs orbatus, magnam in deſperationem adducere illa homines ſolent. Quoſdam, ne ſuorū cædem uiderent, aut iniuriam dedecusq́; ferrent, ſibi manum attuliſſe, memoriæ mandatum eſt: ut M. Catonem, D. Brutū. alij repulſam & exilium ægrè ferentes, patriam in diſcrimen adduxerunt: ut Coriolanus, ac Themiſtocles, qui in eadem ferè cauſa fuit. Ad ſummam, calamitas omnis deiecto & imbecilli homini intole-

randa uidetur, niſi armis patientiæ munitus contra omnem euentum ſit. Atque hæc ſanè animi anguſtia uel ex cupiditate, uel ignorantia naſci plerunq; uidetur: quem ſi quis, ut uirum conſtantem decet, quaſi hoſtē depellat, is uerò robuſtus ac firmus ad omnia toleranda eſt. Ac ſi bona animi corporis bonis præſtare omnes fatentur, certè quamcunque prius horum iacturam ferre debemus, quàm illius uel minimum bonum, nedum robur ipſum amittamus. Nā optimus ac generoſiſſimus quiſq; nulla dicitur opiniōe uulgi, nihil ſibi mali accidiſſe putat, ſi uxorē, filios, familiāq; uniuerſam perire uideat, ſi ipſe exulet, ſi duriſſimo hoſti ſeruire cogatur, ſi deniq; ſummis ærūnis ac laborib. fatigetur. Proponatur ob oculos Iobus ille, unicū patiētiæ exēplar: nū in ſumma illa calamitate exanimatus eſt, aut deſperauit? nū omniū bonorum iacturā ægrè tulit? num filiorum mortem deplorauit? ecce quid in ſummis miſerijs conſtitutus dixerit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, laudetur eius nomē. Quid? Scipio Africanus, cùm ciuium ſuorum ingratitudine exulauit, patriæ'ne inſidias tetendit, aut exitium eius tentauit? an æquo potius animo tulit iniuriam? Hac una ultione contentus illius, quam antea ſuis armis defenderat, ſepulchro ſuo iuſſit hoc inſcribi: Ingrata patria, nō poſſidebis oſſa mea. Quid memorem Architā Tarentinum, Clitomachum Carthaginenſem,

Stilbonem

*Stilbonẽ Megaricũ,cæteroſq; qui patriæ ſuæ excidium cõſtanter perpeſſi ſunt:ſimulq́; nobis indicarunt,humanas res eſſe conſiderandas, ne ijs animus cõmoueatur,cum euenire hæc omnib. neceſſe ſit.*Ergo *ſi æqui iudices eſſe uolumus , noſq́; ipſos ualde nõ amamus,patiẽtia quidẽ uitæ maximè neceſſaria eſt:ſine qua ſæpe minus uiuere poterimus, quàm ſine uictu,ac alijs rebus ad uiuendum neceſſarijs.*Si *enim omnem calamitatem lugere,res omnes aduerſas ægrè ferre ſemper uclimus,nec ab ijs malis patiẽtia leuemur:miſerrima profectò ſit uita noſtra,cum perpetuò in ærumnis iacere deberemus: quas qui uelit è uita tollere,nõ humanam, ſed diuinam quandam naturam finget. Quòd ſi ergo rerũ harum euentum talem eſſe,uitámque noſtram in laboribus eiuſmodi fluctuare neceſſe eſt:neceſſaria eſt prorſus patientiæ uis,quæ animi mœrorem depellat, conſtantemq́; uirtutis habitum conſeruet. Huic uirtuti cõtraria eſt impatiẽtia,`id eſt honeſtæ ac decentis perpeſſionis carentia. Cuius origo uel ex timore,uèl ex magna animi perturbatione naſcitur.nam timore quidem,nec labores ſuſtinere,nec magno animo aggredi poſſumus:perturbatione autem uel illatam iniuriã ulciſcimur, uel rei alicuius ſolicitudine angimur. Talis eſt illa Phædriæ apud Terentium impatientia:*

Quid igitur faciam?non eam? ne nunc quidem,

Cum acceſſor ultrò? an potius ita me comparem,
Num perpeti meretricum contumelias?

Vtrunq; impatiētiæ genus turpe admodum eſt: hoc tamen inter ſe differt ea quæ à metu proficiſcitur impatiētia, ab altera quæ ex perturbatiōe, quod hæc tam deiecta nō eſt ac timida quā illa. Quanquā in utraq; metus ineſt aliquis, & cum labori ſuccūbimus, & cum ſoliciti cura aliqua ſumus, aut iniuriam pati non poſſumus. Cuicunque tamen impatientiæ formæ affectus uarij coniunguntur: ut ſolicitudo, metus, cura, angor, dolor, deſperatio, ira, odium, alijq; huiuſmodi, qui cum ex metu, tum ex audacia, tum ex media quadā animi auxietate inter ſpē ac metum naſcuntur. Huc *pertinet etiam illud impatientiæ genus, quo ſecundis in rebus homines efferuntur.* Idem *aūt non minus uitioſum eſt quàm ſuperiora, quando turpes ad res animum deprimit. Siquidem perſæpe in quibuſdam bona fortuna eſſe intolerabilior ſolet, quā aduerſa: quia cū ad honores ſunt euecti, magnopere arrogantes ac inſolentes fiunt.* Huiuſmodi *ingenio fuit inter* Romanos *olim* L. *Sylla, qui deuictis* Marianis, *maiorē fecit ciuium ſtragē, plures proſcripſit, ac plures bonis ſpoliauit, quā in ipſa pugna.* Annibal Cannenſis *uictoriæ fœlicitate uſq; adeò inſolēs fuiſſe fertur, ut cū in omnes humaniſſimus ac familiaris antea fuiſſet, poſtea ne Maharbali quidem uni ex Carthaginenſium præcipuis,*

cipuis, niſi per interpretem, loqui uoluerit. Semper igitur res non tam aduerſas, quàm proſperas, & ad noſtram uoluntatem fluentes moderatè ferre debemus, ne aut laboris impatientes facti, quacunq; animi angustia opprimamur: neue in rebus ſecundis inſolentes ſimus. alterum enim ex animi deiectione naſcitur, alterum ex leuitate Atq; hanc ſi in proſperitate temperare coercereq; nequeamus, ſed eius impetu tanquam equi feroces exultemus: certè in calamitate facile deſperabimus, & cuicunq; labori ſuccumbemus, quando utrunq; ex eadem inconſtantia oritur. Quocirca rectè omnes præcipiunt, pari animi magnitudine proſperam & aduerſam fortunam eſſe ferendam, neminiq; in ſecundis rebus exultandum, ne in faſtidium odiumq; ſui alios conuertat: nec in aduerſis rurſum ita langueſcendum, ut animus remittatur, ac iaceat, Itaq; ſeruanda eſt in omni uita conſtans & moderata animi temperatio, tenendaq; ſemper æquabilitas affectionum, ne uel anguſtia, uel inſolentia impatientes ſimus. Sequitur Conſtantia, quam perſeuerantiam, tolerantiamq; firmam alij nominant Eadem eſt autem ſtabilis & perpetua permanſio, in ratione bene conſiderata. Nam ut patientiæ eſt, ferre quaſcunq; res aduerſas: ita illius eaſdem ſuſtinendo perſeuerare. Hæc ipſa omnino uoluntaria eſt, nihilq; admixtum perturbationis habet: cum aduerſus imbecillitatem naturæ mollici-

emq́; omnem eluctetur.ut ſi quis magnis cruciatib. affligatur, lanietur, cædatur, idq́; magno animo perferat. Quocirca finis uirtutis huius eſt, non modò dolorem ipſum tolerare, ſed etiã Dei *cauſa tolerare.*Ex *quo fit, ut uerè conſtans non ſit is, qui turpi de cauſa eſt patiens: ſed probus uir ſolum.*Conſtan*tiam uerò ipſam, non in rebus tantumodo aduerſis conſtitui oportet, ſed in ſecundis potius: cum eadẽ firmitate utraſq; perferre, & ad exitũ uſq; perſeuerare, ſit neceſſe: cumq́; uerè conſtans dicatur is, qui talis eſſe poſſit.*Ergo *ut in proſperis, aduerſisq́; caſibus, pariter ſpectatur patientia, ita quoq́; conſtantia: quam in omnibus inuicto animo tenere, nihil eſt magis conſentaneum, ſapienteq́; ac probo uiro dignum.*Hunc *pulchrè poeta* Horatius *concelebrans, qualis ſit is animo futurus, ſimul oſtendit:*

Iuſtùm, & tenacem propoſiti uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolita.——

Hominem enim conſtantem, non inſtabilem & mollem definimus, qui uel timore, uel cupiditate, de gradu uirtutis eijciatur: ſed robuſtum ac ſolidum, qui eandem in omnibus animi æquabilitatem ſeruet, quales fuere illi ab antiquis maximè laudati, Socrates, Phocion, Qu. Fabius *maximus,* Attili*us* Re-

us Regulus. *Laurētium Cæſarauguſtanum adeò fuiſſe in morte pro* Chriſto *perferenda conſtantem accepimus,ut cum tyranni iuſſu diu multumq; ſupplicijs affectus eſſet,ac poſtremò ignis ardētis flammis impoſitus,non modò nihil commoueretur,uerùm etiam tortores ipſos inſtigáret,ut ignē citius excitarent,ligna ſubijcerent:in latus alterū,quod non adeò exuſtū erat,ipſum inuerterent, ut deniq; rapidam illam ſæuitiam crudelius exercerent.*Non *fuit eo infirmior* Babylas *Antiochenus epiſcopus, qui ne* Decium Cæſarem *in templum* Chriſtianorū *adire permitteret,pro forib. cædi à tyranno maluit,quàm de conſtanti concilio remoueri.*Et *ne hos potius,qui diuino quodam inſtinctu cruciatus illos pertuliſſe uidētur,quàm ethnicos homines loquar: exemplo eſſe nobis* Mutius Scæuola *poterit,qui ut patriæ obſidionē morte ſua ſolueret, dextram coram* Porſena *ultro exuſſit,ut animi magnitudine hoſtibus terrorem inijceret.*At *neq; in eo ſolum cōſtātiæ uis ſita eſt,ut dolores quoſq; perferamus:ſed ut affectus etiam ratione temperemus.*Huius *generis ſunt ij,qui animi tranquillitatē conſeruant, nec aduerſis rebus cōmouētur,aut ſecundis inſoleſcūt.* Ex *quo cōſtantes,quòd ſibi rectè conſtent, firmiq; ſint,appellantur.* Sed *nec nos ita infracto animo eſſe debere quenquam aſſeueramus,ut nullo prorſus affectu perturbetur, nullumq; habeat doloris*

y 5 aut

aut uoluptatis ſenſum (ſic enim in uitiũ ſtoliditatis incideret) ſed quod ea animi moderatio à uiro conſtanti ſeruanda ſit, ut affectus omnes rationi ſubmittat. Attamen dubitabit fortè aliquis, num eã ſolum conſtantiã definiamus, quæ ad extremum difficultatis ac periculorũ perſeueret, an aliquò uſq; ipſa progredi ſolũ debeat? Certè quia finis in actione omni uirtutis maximè ſpectatur, uidendum eſt, cuius rei cauſa cõſtantes eſſe uelimus. Nam ſi ſeſe res eiuſmodi obtulerit, in qua conſtantiam non tenere, uitioſum per ſe ſit: ut ſi uiolari religionem, patriam oppugnari, aliaq; eiuſmodi permittamus: perſiſtendũ eſt ad extremum, morsq; ipſa libenter ſubeunda. Quod ſi uerò res ea ſit, ut laborem ad finem uſque perpeti non ſine certa mortis expectatione liceat, nec in eo tam uirtus, quam gloria conſideretur: ſeruanda quidem erit conſtantia, ſed aliquò uſq; commodiusq; fiet nonnunquam, ſi præſenti difficultati cedamus, cũ nihil amplius efficere poßimus, quàm ſi exitum expectemus. Veluti qui magnã diu obſidionem pertulere, aut in hoſtium poteſtatem uicti uenere, ſi extremã mortem pati malint, quàm alteri honeſtis conditionibus hoſti ſeſe dedere, alteri eidem ſubijcere: pertinaces potius, quàm conſtantes erunt. Tales fuere olim Aſtapenſes, ac Numantini, qui ne ſe Romanis dederent, ad internecionem omnes ſunt cæſi, ac fortunas ipſi ſuas incenderunt.

Quocirca

Quocirca ſingulorum conſtantiæ officiorum, quæ ſub certa ratione comprehendi nequeant, iudex erit ſemper prudentia: ut quouſq; cõſtantes, uel quo pacto, aut quibus in rebus eſſe uelimus, intelligatur. Diſſeramus iam de uitijs cõſtantiæ contrarijs, ſicuti in uirtutum aliarum explicatione fecimus, deincepsq; facere conſtituimus. Inconſtantia, inſtabilis eſt, & infirma animi ſententia, in rebus difficilibus: ut ſi quis laborem aut perpeti diu nequeat, aut eundem uitæ modum ſemper non ſeruet, ſed leuitate quadam animi modò huc, modò illuc, quaſi uento deferatur. Huius uitij duæ ſunt partes: una quæ mollicies appellatur: altera, quæ pertinacia. Mollicies quidem, eſt animi teneritudo, in doloribus perferẽdis: molles autem, qui cuiq; difficultati ſine ratiõne cedunt. Idem uerò hoc uitium, cum aut naturæ imbecillitate, aut praua cõſuetudine inſitum nobis ſit, hoc quidem eſt illo uitioſius, quoniam idem in noſtra poteſtate poſitum emendari poteſt, illud autem non poteſt. Vt in pueris, fœminis, ſenibus, ac ualetudinarijs hominibus, infirmitatem tanquã naturalem non uituperamus: at in uoluptuarijs ac diſſolutis, ut in Sardanapalo, Antonio, Heliogabalo, uitioſam eſſe omnino illam putamus. Sed de hoc uitio latius in ſequentibus diſſeremus. Pertinacia autem, dura eſt animi tenacitas, à recto iudicio auerſa. pertinax uerò is, qui de ſua ſentẽtia facile deijci

non poteſt: quem propterea ἰσχυρογνώμονα *,id eſt,propoſiti tenacem uocat* Ariſtoteles.Eadem *ex elatione animi proficiſcitur, tumiditatiq́; idcirco affinis eſt: quoniam qui ſibi plurimum tribuit, non facile de ſententia ſua trahitur.* Quo *fit,ut ſemper pertinaciam error, imprudentia, malitiaq́; ſequatur. ſunt enim aliqui adeò tenaces propoſiti,ut ſe falli non poſſe putantes,id quod ſemel in animum induxerunt,nunquam amittant:aut quod apertè malum eſſe,falſumq́; uident, contumacia quadam defendunt,ne de ſuo propoſito dimoueantur.* Huiuſ*modi fuiſſe* Pharaonem Ægyptiorum regē, Moſes *teſtatur:qui cum populum* Iſraeliticum Dei *oraculo demittere præciperetur,adhuc eum animo pertinaciſsimo retinebat.* Non *diſsimilis ei fuit* Saulus Iudæorum *rex primus,qui* Dauidem, *iuſtū ſanè uirum,ac de ſe optimè meritū,magno odio inſectari non deſtitit,eumq́; in mortis periculum adducere, cum ab illo facilè cædi potuiſſet.Cuius rei ne plura exempla proponam,ad fortitudinis officia præſcribenda redeamus.*

De officijs fortitudinis.

Cap. 21.

EXpoſito *uniuerſo fortitudinis genere, eiusq́; partib.proximū eſt,ut antequā de uitijs illi contrarijs diſſeratur,officia eius tradātur.*Id *autem abundè erit explicatum,ſi ex rerum terribiliū*

diſcrimine,

diſcrimine,fortitudinis diſtinctio ſumatur. Diximus in ſuperioribus, fortitudinis officium duabus in rebus uerſari,uel in bellicis periculis,uel in domeſticis difficultatib. Quod iterũ nunc aſſerentes, magnã utriuſq; uim eſſe demõſtramus:quoniã non minor animi firmitas in domeſticis,quàm in bellicis reb. cernitur:& in utriſq; pariter uel ſuſtinere magno animo labores,uel aggredi neceſſe eſt. Sed nos primò de bellica fortitudine ſermonem habeamus.In qua conſiderandũ hoc eſt,ne ulla unquã pericula ſubeamus,niſi iuſta belli cauſa fuerit. Adeò enim fortitudini cõnexa eſt iuſticia, ut qui illã eſſe iniuſtã uoluerit,eandem ſimul tollat. Quemadmodũ Ageſilaus aiebat:Si iuſti eſſemus,omnes fortitudine nõ indigeremus:at quoniam nõ ſumus,ita erit illa utendum,ut ne à iuſticia deficiamus.In ipſo aũt bello,quod iuſtum eſſe debere ſtatuimus,ſic erit fortitudine utendũ,ut nõ pro noſtris commoditatib.in certamen deſcendamus, nec in hoſtes crudeles ſimus:ſed pro iuſticia depugnemus, magnoq; animo ſubire mortẽ non uereamur. Et quanquam bellica pericula lõgè alijs grauiora ſint propter difficulatem,ac mortis præſentiã: ſic tamẽ timenda ſunt,ut animo nõ deſpõdeamus,ſed multo magis eius uires intẽdamus. Quãdoquidẽ præter ipſam bellicæ fortitudinis laudẽ præclarũ etiã eſt,ut Plato inquit pro patria,iuſticiaq; mortẽ oppetere.Hoc animo duces

omnes,quicunq; ab auctorib.celebrãtur,quosq; pa trum,aut noſtra memoria nouit, & res præclaras geſſere, & ſtrenuiß. fortißimiq; fuere. Niſi enim Scipiones *illi,*Põpeij,*Cæſares,*Aureliani, Probi,Be *liſarij:è noſtris uerò,*Viriatus,Rodericus Cidus,Fer *nãdus* Gõſaluus,Bernardus Carpius,Gõſaluus Fer- *nandus cognomento* Dux *magnus,*Antonius Læua, Alfonſus Daualus,*cæteriq; imperatores,quos cau- ſa breuitatis prætereo,ſic fuißent animati,ut mor- tis periculum contemnere,in belloq; mori pulchrũ exiſtimarent:nec tantas res geßiſſent, quas nulla poſteritas conticeſcet,nec de patria ſua forent tam bene meriti.Quo nomine in bellica fortitudine nul lius rei minor eſſe ſolicitudo debet, quàm mortis: cuius metu quanquam pro naturæ noſtræ imbecilli tate commoueri neceſſe ſit,ſuperanda tamen eſt animi mollicies,& obfirmanda uirtute:ne plus affe ctus quàm ratio ualeat.*Iam *uerò domeſtica fortitu- do,quæ non in periculis tam apertis, quàm in labo ribus tolerandis conſiſtit, conſtantia magis animi niti debet,quæ difficultatem omnẽ exuperet,quàm audacia aggrediendi.*Exemplo *huius eſſe poſſunt,* Regulus Attilius,Socrates,Zeno Eleates, *qui pro uirtute mortem perpeßi ſunt:ac poſtremò reliqui omnes,qui uel in caſibus aduerſis,uel in ferendis in iurijs magnanimi & conſtantes fuere.*In *omni er- go fortitudinis actione,ſiue illa in bello,ſiue in pace*

cernatur,

cernatur,ita nos gerere debemus, ut quæ timenda ſint, ut homines timeamus:idq́; non animi ſtolidita te quadam,qualis Celtarũ olim fuiſſe fertur. Quoniã etiã in eadem uirtute aliquem timorẽ moderatũ ſtatuimus,ea ſolũ timenda ſunt,quæ decoro,uirtuti,Deiq́; obſequio cõtraria ſint:reliqua ſi quis ue reatur,ut morbum,egeſtatem,ignominiã,orbitatẽ, fortis quidem eſſe non deſinet. At ſi honeſtam mor tem & cruciatus pro uirtute ſic timeat,ut ab officio deſiſtat,timidus eſt, atque animi deiectiſsimi. Quid quod in pleriſq; cauere debet uir fortis,ne uirtutis cõnexa negligat:ſed quãdo,quõ, quibusúe in rebus fortis ſit futurus,diligẽter peruideat,ſemperq́; prudentiæ conſilia ſequatur. Hinc fit,ut uerè uir fortis,quoniam cõſilio iudicioq́; regitur,initio tardus, & animo pacato ſit,antequã rẽ obiectam aggrediatur:in ipſo uerò actiõis feruore excãdeſcat,& iracũdia ueluti ſtimulis utatur.Atq; hãc etiã ſic ſemper ratiõi ſubijci uolumus,ut ratio,quid rectè fieri deceat,præſcribat,iracundia in actionem id ipſum promoueat.Ex quo intelligitur,ad fortitudinis officium tum rationis præſcriptũ accedere, tum iracundiæ impetum adiungi debere: quãdo ratio nihil per ſe agere poſsit ſine affectu, neq; hic ſine ratione uirtuti cõgrueret.Inde quoq; perſpicitur,errare M.Tulliũ in quarto Tuſculanarũ libro, dũ ex ſententia Stoicorum contra Peripateticos,

iracun-

iracundiam fortitudini conferre negat, quòd uirtus ſcilicet affectu non egeat. Verùm *ſi hominum ingenia rectè ſpectemus, uideamusq́; aliquos naturali corporis procliuitate ad fortitudinem eſſe magis idoneos ob iracundiæ uim inſitam, facile refutari poteſt* Ciceronis *ſententia.* Quamuis *enim omnis uirtus actionum habitu comparetur, multum tamẽ efficit naturalis facultas ad eãdem acquirendam.* Quidã *ad liberalitatem ſunt procliues, propter humectam corporis naturam: alij ad temperantiam, ob temperationem conſtitutionis: eodemq́; modò iracundi ad fortitudinem ſunt apti, non quòd ea perturbatio ſatis ad uirtutem efficiendam ſit, ſed quia ea ratio commodius uti poßit, quàm ſi natura ſit timida corpus.* Ita *fit, ut fortitudo, auctore* Ariſtoteli, *in rebus repentinis magis cernatur, quàm in conſideratis: quoniam ea quæ antè conſilio præmeditata geruntur, non tã hominis naturæ ſunt congenita, quam quæ repentè: ſiquidem illa iudicio & ſententia, hæc habitu cõparata ſunt.* Hanc *ob cauſam, ut ira eſt magis repentina, concitatiorq́; cæteris affectibus: ita uera fortitudo in ſubitis caſibus cernitur, forteſq́; uiri in terroribus non præmiditatis.* Eandem *animi celſitudinem* C. *Cæſar cùm in aliis, tum in eo prælio declarauit, in quo cum* Neruij *multitudine penè innumerabili, ferociq́; impetu* Romanos *in fugam cõuertere cœpiſſent, is arrepto militis*

militis cuiuſdam ſcuto, eoq́; tectus, in medios hoſtes proſilijt, magnoq́; animo dimicauit: quouſque ducis ſui exemplo pudore affecti milites, maiori ui in hoſtes impetum fecerunt, eosq́; demum ſuperarunt. Quæ res efficit, ut cum uirtutum aliarum actiones iucunditatem animi aliquam ſecum afferãt, fortitudo ſolummodo afferat uoluptatem, modò etiam dolorem. Nam ſi adepto fine tanquam in portum ſecuritatis perueniamus, nihil eſſe iucundius poteſt, quàm fortiter nos geßiſſe, & uotis potitos eſſe. Quòd ſi uerò nulla ſalutis ſpes reliqua ſit, moleſta & iniucunda eſt fortitudo: non ipſi quidem rationi, cuius impulſu difficultas ſubitur: ſed corporis imbecillitati, quæ dolores ut malũ aſpernatur, uoluptates ſequitur ut bonum. Eo fit, ut maior difficultas ſit, metum cohibere, infractoq́; animo laborem ſuperare, quàm metu conſternari. Quamobrem homines audaces & confidentes fortiores eſſe uidentur, quòd ea uitia fortitudinis ſpeciem aliquam habeant. Et qui timidus eſt, quo melius fortitudinis habitum aſſequatur, in audaciam ſeſe intendere quodammodo debebit: ut cum à motu longißimè diſcedat, frequenti uſu ueram adipiſcatur uirtutem. Hæc igitur de fortitudinis officijs dicta ſunt, nunc ad uitia illi contraria pergamus.

De uitijs fortitudini contrarijs. Cap. 22.

QVoniã fortitudo, ut reliquæ uirtutes, poſita in uitioſorũ extremorum medio eſt, & extrema illi contraria ſunt, temeritas ac timor: æquũ eſt, ut de ipſis pariter diſſeramus. Temeritas, quam Græci ἀφοβίαν nominant (ut ab ea capiã orationis exordiũ) eſt præceps animi impetus ad pericula incõſiderata hominẽ impellens. Temerarius aũt is, qui quod ſupra uires eſt, nulla habita periculi ratione, confidenter aggreditur. Quem idcirco neceſſe eſt in ipſo cõgreſſu deficere, quoniã audeat plus, quàm uires permittãt. Huius porrò uitij radix eſt ignorãtia: quãuis amoris proprij carentia, aut elatio animi, uel ſtupiditas eſſe poßit. Etenim qui magnũ aliquod facinus, quod eius uires ſuperet, aggreditur, primò quidem ignorat quale ſit illud, nec uires ſuas rectè conſiderat. Quemadmodũ de Phaetonte narrat poeta, qui cũ iuuenis & infirmus eſſet, parẽtis ſui currus, id eſt, Solis poſtulauit: nec ſano eius conſilio paruit, ita monentis,

Magna petis Phaeton, & quæ non uiribus iſtis
Munera conueniunt, nec tam puerilibus annis.

Iam proprij amoris defectio multũ ad id ualet, ut quaſi feroces equi, in pericula nos conijciamus, nec bonorũ iactura, nec imminenti morte ab impetu detrahamur. Eo fuiſſe animo Leonidas Lacedæ

moniorum

moniorũ imperator fertur, qui Perſis exercitu numeroſiſſimo Græciam hoſtiliter inuadẽtibus, unà cum trecentis militibus apud Thermopylas in hoſtium copias irruit: multiſq́; iaculis confoſſus, impetu in Xerxem ipſum facto, diadema regium illi detraxit: ſimulq́; ſanguine, uulneribus exundante, corã occubuit. Nec minori fuere ui animi quatuor illi Athenieẽſes, Polyzelus, Callimachus, Cynegyrus, Miltiades, qui Dario apud Marathonem caſtramentante, eius exercitũ aggreſſi ſunt, magnaq́; hoſtium cæde facta, interfecti. Quinetiã animi elatio audaciã gignit plerunq;, quando uel timore turpitudinis, uel gloriæ cauſa, homines audere magna ſolẽt. Hanc in Garcia Gomezio Carillo, nobili quidẽ ac forti uiro, fuiſſe, maiorum noſtrorum hiſtoriæ cõmemorant: qui cum Xericiũ Beticæ Hiſpaniæ oppidũ Alfonſi regis nomine præſidio teneret, obſeſſuſq́; à Mauris diu famem & inediam pertuliſſet, cæſis omnibus, ac mortuis militib. ſolus in hoſtium copias irruens, magna illorum ſtrage facta, deditionis turpitudinem morte ſua uoluit euitare. Itaq; cũ eius impetum hoſtes aliquandiu ſuſtinuiſſent, uiuum tandem eum ceperunt, & ad regem ſuum adduxere, à quo poſtea remiſſus eſt. Nec uerò minus animi ſtupor audaciã parere ſolet, ut cum quis eſt uel adeò inſanus, uel ſtolidus, ut nimis magna fiducia in reb. terribilibus utatur, mortemq́; nihili, aut

uitam æſtimet. Quales fuiſſe olim Celtas, Oceani maris accolas. auctores multi teſtantur: qui domum corruentem deſerere, turpe eſſe exiſtimabãt: quiq; marini æſtus impetũ armati tandiu ſuſtinebant, do nec undis obruerentur, ne quid fugiendo uiderẽtur perhorreſcere. Sẽper igitur fortitudini inimica eſt temeritas, ſemperq; cõſilio uacat, ſiue illa ex animi elatione naſcatur, ſiue ex deſperatione, ſiue ſtupore, ſiue alia ex re quacunque. Huic *adiuncta eſt audacia, quæ timorenm omnem tollens, nullum rectæ rationi locum relinquit. Quæ eadem à temeritate differt, quòd audacia ſolum impetus animi eſt: temeritas uerò, actio inconſiderata, in ijs quæ afferunt terrorem.* Et *qui temerarius eſt, hoc tantum peccat, quod rationis conſilijs non paret, ſiue is multũ ſiue parum timeat: qui audax. tum fortis, tum temeraius eſſe poteſt.* Omnino *igitur temeritas rationis modum excedit, uitioſaq; ſemper, ac fortunæ ſubiecta eſt: id quod cadere in fortitudinem non poteſt. Aliud enim eſt uirtutem in audacia ſequi, aliud uerò mortem ſpernere.* Nam *qui ſequitur in audacia uirtutem, timet quidem ea, quæ afferre homini timorẽ debent, negligitq; contraria: qui uerò animi impetu concitatus, nihili uitam facit, is omni prudẽtia caret: quæ adeò eſt fortitudini connexa, ut qui fortis eſſe ſine illa uelit, temerarius ſit prorſus. Archidamas* Lacedæmoniorũ *rex, filiũ in pugna quadam*

dam cōtra Athenienſes iuuenili ardore nimiū exul tantem aſpiciens,prudēter dixiſſe fertur. Aut uires, tibi fili augendæ ſunt,aut audacia minuenda. Intelligebat nimirū,ueram fortitudinem non in multum audendo uerſari,ſed in animi moderata ui:contrà uerò,audaciam iudicio carentem,temeritatem eſſe. Quo fit,ut quantum à uirtute diſtat uitioſitas, & à conſilio fortuna,tantum à uera fortitudine temeritas. Huic contraria eſt timiditas, quam Ariſtoteles animoſæ partis uitiū definit,quo in periculis homo conſternatur. Timidus aūt eſt, qui ſine cauſa quiduis timet. Ipſe aūt timor quamuis affectus ſit quidam,ut in libro ſuperiore docuimus: hoc tamen in loco pro habitu uitioſo fortitudini cōtrario capitur. Idē præterea ex amore proprio, quo animus ſeſe contrahit,oritur. Idcirco uarij affectus illi connectūtur,ut inertia,mollicies,effeminatio, torpor, uitæ cupiditas,contentionis detrectatio,cæteriq; alij:de quib: antea diſputauimus. In primis ergo proprium metus eſt,laborem omnem ut malū ſubterfugere,in ipſo periculo tremere,frangi, & exanimari:quoniam id incōmodum corpori,fortuniſq; noſtris fore putatur. Qua de cauſa φιλαυτία,id eſt proprius amor,timori adiūctus eſt,qui ab omni difficultate animū reuocat,deprimitq;, dū hinc mollicies,illinc honeſtas inter ſe colluctantur,nihilq; rectè fieri permittunt. Accedat eòdem, quòd timidi-

tas, naturalis cum ſit, eatenus uitioſa eſt quatenus honeſtati aduerſatur. Nam *ſi magno animo ſit religio defendenda, ſi patria, ſi familia, ſi uita ipſa, nec timoris cauſa periculis nos opponere audeamus, non ſolũ in uitiũ timiditatis cademus, ſed iniuſti etiam, & perfidi erimus. Contrà fiet, ſi quod timetur, uirtuti contrarium non ſit: ut incendium domus, bonorum iactura, prædonum impetus, atq; id genus alia: quæ tametſi quis timeat, non tam uitioſus, quàm imbecillis cẽſeri debet.* E*ſt præterea eidem affinis impatientia & deſperatio: de quib. ſuo loco diximus. Cum ergo timiditas omnis nõ modò turpis, ac per ſe uitioſa ſit, ſed animum quoq; perturbet, rationiq; tenebras offundat, tum alijs, tum forti uiro eſt prorſus fugienda: quandoquidẽ nihil eſt à ratione magis alienũ, quàm eo modo affici, timoreq; lãgueſcere.* Nero C*æſar, is qui* R*omani imperij crudeliſſimus tyrannus fuit, cũ cõiuratorum qui eum cædere conabantur, inſidias clã domo excedens uitaret, illiq; adhuc eundem inſequerentur, trepidus ac timidius unà cum ſeruo mortem abiectiſſimo animo fugiebat: quàm ipſe poſtea turpiſſimã ſibi conſciuit, dum eorum manus effugere non poſſe uidit.* Num *ergo tã potens tamq; ſæuus in alios rex, mortis periculo imminente, coniuratorib. ſe oppoſuit? aut inſidias coniurationis conſtanter declinauit? aut priſtinam illam ſæuitiam, quàm in*

innocen-

innocẽtes antea exercebat, aduerſus inimicos ſuos conuertit? Imò potius in fuga mulierculæ ritu animo cõſternatus defecit, & fugiendi ſtudio inflãmatus in ipſa morte decoctæ ſuæ aquæ ſenſit abſentiã. Nec minus illo timidi fuere Afranius, et Iuba Mauritaniæ rex, qui à Cæſare in Africa uicti, fugiendo ſeſe mutuò interfecerunt, cum rebus iam deſperatis in uictoris poteſtatem uenire nollent. Habent quidem hi ſuos defenſores, qui magni animi eſſe putent, hominem ſibi manum afferre, ne in captiuitatem, ignominiam, ac dedecus incidat. Sed certè conſiderandum eſt, num uiri conſtantis ſit potius laborem & ærumnas perferre, an ignaui & timidi, diffidere. Occidit ſeſe Brutus, ne ab Octauio Auguſto caperetur: occidit M. Cato, ne Cæſari ſeſe dederet: occidit Claudius Nero, ne à coniuratis cæderetur. Ergo timoris cauſa id fecerunt: quod alioqui non erant facturi, niſi ea anguſtia opprimerentur. Ergo ſi fortis animi eſt laborem ſuſtinere, periculis non ſuccumbere, nullo malo ſuperari ac frangi: contráq; hæc qui faciat, timidus, & inconſtans eſt: certè quicunq; mortem ſibi conſciuerit, cum timoris id cauſa faciat, fortis eſſe nõ poteſt. Noſtra tempeſtate Philippus Strotius, qui Alexãdri Medicis primi Florentinorum ducis cædi interfuit, cum à militib. Cæſarianis expugnato quodam oppido, in quo erat, caperetur, in carceribus ſeſe interfecit: te-

ſtamenti loco hoc inſcripto, ſe Catonis & Bruti exemplo ſibi mortem attuliſſe, ne in tyrannorum manus incideret. Mollis profectò & effœminata uox, Chriſtianoq; uiro indigna. Si enim mortē timebat, eandem ſibimetipſe attulit: ſi dedecus, ſatis magno affectus eſt dedecore, qui dum ſibi manum attulit, uita hac indignum ſe eſſe demonſtrauit. Quod ſi demum ut malum effugiant, afferre ſibi manum ij uolunt: timiditasq; omnis, ac malorum fuga, fortitudini cōtraria eſt: relinquitur, & illos eſſe uitioſos & ſummè imbecilles. Exiſtit hoc in loco dubitatio ſubdifficilis, num timor omnis ſit inhoneſtus, ac fortitudini cōtrarius: an aliquis ſit bonus? Si honeſtas animi imbecillitate deſeritur, uitioſa eſt admodum timiditas: ſi uerò pericula & labores, prout humana natura fert, ita timeantur, ut nihilominus in uirtutis officio permaneamus, honeſtus eſt timor: quo ſi carere uelimus, temerarij potius erimus. Vnde Dei timor, qui obſeruatio quædam & reuerentia illius eſt, non uitium, ſed ſumma uirtus cenſeri debet. Neque enim is animum eneruat, aut contrahit. nec à rerum magnarum actione retrahit, ut timiditas, de qua paulò antè diximus, ſed firmiorem eum reddit. Id quod in Martyribus omnibus uidere eſt, qui exquiſita, inuſitataq; cruciatuum genera conſtanter perpeßi ſunt, quòd eorum animos diuini numinis maieſtas amori coniuncta, timore perculſerat, qui

nihil

nihil eos in religionem peccare, uel ſummis malis oppreſſos permittebat. Præſertim cum Deus omnes mortem negligere, deq́; illa ſolicitos non eſſe, iuſſerit in Euangelio: Nolite, inquiens, timere eos qui occidunt corpus, animam autem nō poſſunt occidere. Hæc igitur de fortitudine, eiuſq́; partibus, ac uicijs illi contrarijs, dicta ſint.

De temperantia. Cap. 23.

ABſoluta triū uirtutū tractatione, quarto loco ſequitur temperantia, de qua nos hîc diſputationem inſtituemus. Hanc Cicero definit, firmam & moderatā rationis dubitationem in libidinem, atq; alios non rectos animi impetus: Plato uerò, uirtutem, quæ uoluptates ac libidines rationi ſubijciat. Eandem Ariſtoteles appellat, appetitoriæ animæ uirtutem, qua impetus uoluptatum inhoneſtarum reprimantur. Finis huius eſt idem, qui uirtutum aliarum: id eſt, ſummum bonum. ſedes uerò, pars animi appetitoria, ex qua omnes appetitiones naſcuntur. Subiectum deniq;, circa quod uerſatur, uoluptas Ariſtoteli dicitur, non quidem omnis, ſed ea ſolum, quæ ad tactum pertinet. Ipſam aūt temperantiam mediam ille inter uoluptates ac dolores ſtatuit, quòd partim uoluptate, partim dolore temperans uti debeat. Quoniam ergo temperantiæ ſubiectum uoluptatē eſſe cōſtat, nullumq́; ex omni animantium genere tam multis uoluptatibus ducitur,

quàm homo:neceſſe profectò eſt,eas omnes illi ſubijci:ac nõ tantum illas quæ ad tactum referantur, quemadmodũ Ariſtoteles putat. Quocirca uerior ſententia eorũ eſſe uidetur,qui uoluptates ſenſuũ omnium eidẽ uirtuti ſubijciunt.Sed ut nos breuiter totum tẽperantiæ genus cõplectamur, uoluptates prius oẽs enumeremus,ut uerũ eiuſdẽ ſubiectũ,officiumq; intelligatur.Duplex uoluptatũ genus ab Ariſtotele,Platoneq; ſtatuitur:unũ naturalium,quæ omnib.animantib. à natura inſitæ ſunt:alterũ proprium,quæ uſu & opinione hominum conſtãt. Vtrunq; ad corporis et animi uoluptates pertinet. quoniã aliæ ſunt animi peculiares, ſiue eæ ſint naturales,ſiue opinabiles:aliæ corporis ipſius.Earũdem præterea quædã bonæ ſunt,aliæq; malæ.bonæ quidem eæ,quæ bonum ad finem referuntur:malæ uerò,quæ ad malum.Eadem quoq; dolorum uoluptatibus contrariorum ratio eſt.nam alij ſunt naturales,alij opinabiles,alij boni,alijq; mali:ut ex priori de affectibus tractatione patêre arbitror.Circa has demum uoluptates ac dolores temperantia uerſatur,& eorum mediocritate conſtat,dum partim neceſſarijs & honeſtis uoluptatibus utitur,partim uerò ab alijs abhorret. Et cum omnibus à natura ingenita ſit uoluptas, cunctiq; ut malum,dolorem aſpernentur:neceſſe eſſe,temperãtiæ moderatione uti,quæ nos à turpib.uoluptatibus amoueat, & ad

*dolores propius adducat:non tamen ita,ut uolupta te omni priuemur.*Ergo *extrema illius uitioſa ſunt, ut poſtea docebimus.mediocritas uerò bona, quæ tũ abſtinentia,tum temperantia nominatur: quod animi motus cõponat,ac moderetur.*Quo *nomine in* Cratylo Plato *σωφροσύνην tẽperantiam nominari putat,quòd ſedatis perturbationibus, pruden tem conſeruet.*Nam *ſi quæ alia uirtus,tũ hæc maximè prudentiæ coniuncta eſſe debet,ut ne à ratio ne diſcedat appetitus,néue mentis conturbet tranquillitatem.* Qu*a cõmota,neceſſe eſt ſuo munere rationẽ uti nõ poſſe.*Hinc Perſcum *poetæ fingunt,* Minerua *duce,caput* Meduſæ *amputaſſe, cum illa in ſaxa aſpectu ſuo homines conuerteret.quoniam cupiditates humanæ,quæ mentem ad terras deprimunt prudentiæ conſilijs cõcidant.* Atq; *etiam,ut muſicus concentus uocũ diuerſarum unum reddit ſonum:ita in animi cupiditatibus,ſi prudẽtia continentiæ copuletur,moderatio quædam oritur,quã temperantiam appellamus.*Huius *ergo uirtutis ut officia deinceps explicemus,breuis humanarũ cupiditatum ratio præponenda eſt,quam ex ipſis ſenſibus petamus.*Cum *alij animantibus appetitus ad naturæ neceßitatem dati ſolũ ſint,illaq; modò naturæ ſuæ contenta nihil amplius requirãt:ſolus homo,qui particeps rationis eſt,plurimarũ uoluptatum eſt capax,tum naturalium,tum opinabilium:*

contra

cõtra quas, ueluti hoſtem, armis temperantiæ muniri debet. Idemq́; multorum ſenſuum cũ uires acutiſsimas habeat, ut uidendi, audiendi, guſtandi, odorandi, tangendi: magnam capit ex horum ſingulis uoluptatem: quam ſi temperet, continens: ſi ſequatur, intemperãs ſit. Primò quidem aſpectu permultæ uoluptates ſunt, quæ tum natura, tum hominum opinione conſtant: ut aſtrorum cõtemplatio, tabularum pictarum, cãporum, cæterorumq́; huiuſmodi conſpectus, qui oculis gratus eſt. Sed harum quidem uoluptatum permagnum eſt diſcrimen. nam ſi ex intuitu rerum honeſtarum, quæ minimè offendant rationem, uoluptas capiatur, honeſta: ſi ex honeſtarum ac turpium, ut ſpectaculorum, mimorum, comœdiarum, inhoneſta eſt. Nec minus in aurium iucunditate moderatio poſtulatur: quæ cum ex rerum honeſtarum auditione ſuaui percipi deberet, ab immoderatis hominibus ad uitium transfertur. Cuiuſmodi ſunt ij qui obſcœnorum carminum uocibus, conuitijs, detrectatione, maledictisq́; oblectãtur. Itaq; ſi uoluptas eſt, cantus audire, uocesq́; animo iucundas, eademq́; aut bona, aut mala eſſe poteſt, in hac etiam temperantiæ ſita erit uis. Huic affinis eſt olfactus, guſtatusq́; ſuauitas, quæ cum ad rerum uitæ neceſſariarum uſum hominib. data ſit, in uitium accommodatur, naturæq́; modum excedit. nam ſi quis uentri gulæq́; deditus, ſaporum ſuauitate cun-

te cuncta metiatur, ſi unguentis oblitus incedat, ſi nimium odorum fragrantia delectetur, dubitari nō poteſt, quin immoderatus ſit. Eiuſdem ferè generis eſt tactus uoluptas, quæ cum toto corpore diffuſa ſit, ſummam exigit temperantiæ uim, à qua refrenetur intra naturæ modum. In horum igitur omnium ſenſuum uoluptatibus temperantia cernitur, & non in tactu ſolum. Reſtat nunc ut ſingulas eiuſdem partes enumeremus, antequam de ipſius officijs diſſeratur. Temperantiæ hæ tres eſſe partes Ciceroni dicuntur, continentia, clementia, modeſtia. Ariſtoteli uerò hæ: ordo, id eſt εὐταξία, quem Cicero in Officijs decorum appellare uidetur: moderatio, pudor, uerecundia. Idem autem Cicero in Officijs nullam ei partem aliam adiungit, præter illud, cuius modò fecimus mentionem, decorum. Alij tamen rectius (quorum è numero eſt Thomas Aquinas, uir doctus ac pius) qui uerecundiam & honeſtatem tēperantiæ quaſi prima genera ſtatuunt: ex quibus ueluti fontibus, quatuor hæ uirtutes exoriantur, abſtinentia, ſobrietas, caſtitas, ſeu pudicitia: quibus adiunguntur, continentia, clementia ſeu manſuetudo, modeſtia, humilitas, moderatio, comitas, quæ Græcis εὐτραπελία & ornatus. De quarum ſingulis ordine dicendum eſt, initio à uerecundia ſumpto.

De

De partibus temperantiæ. Cap. 24.

VErecundiã Ariſtoteles definit, metum dedecoris & infamiæ. Quam ille non uirtutem, ſed affectum eſſe docet, quoniam timor omnis affectio ſit, illaq; ab hoc ipſo naſcatur: quod eadem ætatem omnem non deceat: uirtus, quæ omnibus ex æquo conuenit. Sed mea quidem ſententia, uerecundiam inchoatam quandã uirtutem definire licebit, quando affectio eſt alijs confirmatior, eaq; honeſtati coniuncta, quæ nos à turpitudine rerum, actionumq; auocat. Ad quam etiam pertinet erubeſcentia, quæ uitij timore quodã ab actionib. inhoneſtis hominē deterret. Sed uerecũdia ſanè multò latius patet, quàm hæc: nec tam ad uitia perpetrata ſeſe diffundit, quàm ad præſentia et futura: hæc uerò eadem præſentis uitij duntaxat propria eſſe uidetur. Vtraq; tamen ex bona animi indole proficiſcitur, ac cùm omnibus laudanda eſt, tum maximè in iuuenibus, quorum uirtus eſt in expectatione, quemadmodum apud Terentium Menedemus oſtendit: Erubuit, ſalua res eſt.

Bonam ſibi de filio ſpem pollicetur, quod turpitudinis rubore fuerit perfuſus. Cum autem uerecũdiæ nos mentionem facimus, minimè intelligimus affectũ illum repentinũ quo quis ſubitò perturbatur, qui (ut ait Ariſtoteles) à uiro probo eſt alienus:

ſed

ſed inhærentē animo quandam affectionem, quæ à turpium rerum actione nos auocat, nullámque aliam turpitudinem uereatur, quàm illam quæ ſit uirtutibus contraria. Nam timere pro Dei cultu ignominiam, nō uerecundiæ, ſed perfidæ timiditatis eſt. Ergo tota uerecūdiæ uis eſt in rerū inhoneſtarum timore ſita: eademq́; pueros ac fœminas magis decet, quàm aut ſenes, aut ætate prouectos. Vt enim arborem teneram nemo prudēs agricola fructiferam rectè uocet, antequam fructum aliquem tulerit: ſed eius ſolū ſpem bonam antè concipit: ita iuuenem ex uerecūdia (quæ quaſi bonitatis expectatio eſt) nō uirtute iam adepta, bonū eſſe dicemus. eam ob cauſam impudentia, quæ uerecūdiæ aduerſatur, uitium eſt uel maximum: quod nulla habita uirtutis ratione, ad ſcelus quoduis hominem reddit audacem. Qui enim impudens eſt, nec decorum, nec uitæ modum, nec honeſtatē aliquam ſeruat: ſed uitijs omnibus quaſi habenas laxat, nulloq́; afficitur turpitudinis metu. Hanc ipſam petulantiam Theophraſtus ἀναισχυντίαν, id eſt honoris contemptionem nominat: nos tamen effrenatam animi licentiam ad uitia, uitæq́; dedecus, rectius appellare uidemur. Quapropter mediam, inter petulantiam & nimium pudorem, ſtatuamus uerecundiam: quando illa in extremo impudentiæ peccat, hic in erubeſcentiæ exuperantia. Ita fiet, ut extre-

mum

mum utrunq; uitioſum,mediocritas uerò bona ſit. Nec enim ſemper,aut leui de cauſa erubeſcendum cuiquam eſt,nec multum etiam confidendum : ſed medium eſt quiddam tenendum,ut honeſtarum uirginum more uitioſa timeamus,bona minimè recuſemus.Et quanquam nonnulli ſunt eo ingenio, ut quacunque de re erubeſcant : non eſt id uitio tribuendum,quãdo illa eſt affectio naturalis,eaq; neutra: & nos hic de uerecundia illa loquamur,quæ cõſuetudine atq; habitu confirmata eſt. Proxima eſt huic honeſtas,quæ cùm omnium uirtutum ſit radix, tum maximè temperantiæ,ad eam ueluti ad normam dirigitur:cum nihil expeti, aut fieri debeat, quod idem ad honeſtatem non reducatur.Nec tamẽ proinde finem eſſe temperantiæ illam uolumus,ſed radicem duntaxat,ita ut ex honeſtate naſcatur temperantia,hæcq; rurſus ad ſummum bonum referatur.Hinc fit,ut idem ſit decorum,honeſtum,ac bonum,cum nihil decere unquam putemus, quod honeſtum ac bonum non ſit:nihilq; contrà bonum & honeſtum eſſe,quod non deceat.Quamobrem tria cum ſint genera bonorum, quæ ab hominibus expetuntur,utile,iucundum,honeſtum, ſolam honeſtatẽm temperantiæ coniungimus,quoniam hæc in cupiditatibus cohibendis conſiſtit:quas niſi moderetur,magnam animi fieri perturbationem neceſſe eſt:cum eo maximè uitioſæ ſint cupiditates, quòd

utilitatem

utilitatē ac iucunditatē expetunt, deſerta honeſta-te. Sed neq; ita eſſe aliquid utile & iucundum uolumus, ut honeſtum etiā non ſit: quando eadem tria bona coniūgi ſæpe ſolent, multaq; & honeſta & utilia et iucunda ſunt. Contrà uerò, nō quicquid iucundum eſt, aut utile, continuò eſt honeſtum: cum hæc duo honeſtati ſæpe aduerſentur. Quocirca nos honeſtatē tēperantiæ ſic adiūgimus, ut uel iucūditate & utilitate neglecta, ſola ipſa nihil fieri immoderatè ſinat: ac dummodo naturæ cōſulatur, nullū uoluptati locū cōcedat. Quē ſi permiſerit, inde iā naſcetur inhoneſtas, quæ uitiorū multorū radix eſt, ſicut honeſtas uirtutū. At cū nos hic tēperantiæ honeſtatem adiungimus, minimè quidem intelligas cōmunem illam honeſtatem, quæ fons eſt uirtutum omnium: ſed priuatā quandā moderationis uirtutē, quæ hominū cupiditates cohibeat, cui cōtraria ſit nimia cupiditas & libido inhoneſta. Ad quā ipſam decorū, ut ait Cicero, refertur: quia nihil eſſe honeſtum poßit, quod idē minimè deceat. Itaq; ut decorum duplex eſt, & generale, quod in omni honeſtate uerſatur, et ſingulare, quod ad partes ſingulas honeſtatis pertinet: ita honeſtas, quæ illud ſemper cōſequitur: quæq; in eandem cadit diuiſionem, dum temperātiæ ſubijcitur particularis eſt, particulareq; decorum ſequitur. Quapropter cum idē Cicero ſingulare decorum honeſtati ſingulari con-

 iungit,

*iungit,& utrunq; refert ad temperantiam: il eſſe uult decorum & honeſtatē,quod ita ſit naturæ conſentaneum,ut in eo moderatio appareat cū ſpecie quadam liberali.*Atq; *ex hac etiam honeſtatis & decori deſcriptione, quid inhoneſtum atq; indecens ſit patet,cum uoluptas immoderata, inhoneſtas & indecorum,ut ſic dicam,appelletur.*

De abſtinentia,& ſobrietate.
Cap. 25.

S*Ed nos propoſitis duob. temperantiæ capitibus,uerecundia,& honeſtate,earumq; cōtrarijs:de abſtinētia,ſobrietateq;,ac cæteris dicamus.* Ab*ſtinentia,quæ ſæpe pro ipſa temperantia capi ſolet,hoc loco à nobis dicitur ea, quæ à ciborum luxu homines temperat,iubetq; ſuæ naturæ modò eſſe contentos.* Nam *ut paucis natura,ut omnes fatentur,contenta ſit,ac nihil præterea requirat, ſi ſuos intra fines contineatur,temperātia, ſiue abſtinentia gignitur.* Ip*ſa uerò abſtinētia præter quàm quòd à medicis ad tuendam ſanitatem commendatur,neceſſaria eſt ad motus animi cohibendos,qui ſi nimio cibo & potu ingurgitemur,exoriri ſolēt.* Q*uapropter bene* Py*thagoras,*Pl*atoniciq; omnes, cupiditates has immoderatas coerceri præcipiebāt, quòd immoderatā animi partē appetitoriam reddant,rationemq; perturbent.* Ex *quo ſequitur, abſtinentiæ ſubiectum in ciborū moderatione uerſari:nim*

rium autem illius totam eſſe uoluntariam, quãdo uel naturæ cupiditatem abſtinentia uincimus, dum eam rationi ſubmittimus. Finis *aũt abſtinentiæ uarius eſt, cum multis de cauſis homines abſtinere ſoleant.* Nam *in eo uel ſalutis rationẽ ſolum habent, uel cõmoditatis corporeæ, uel ut appetitus reprimantur, mensq́; ad* Deũ *tota cõuertatur.* Si *ſalutis ſolum tuẽdæ cauſa abſtineamus, nec boni, nec mali erimus, cum eiuſmodi abſtinentia uirtus non ſit.* Quòd *ſi uerò aliam commoditatem ſequamur, ut ſtudia, uel negotia, quæ ſobrio animo gerenda ſint, frugalitas dicenda eſt.* Sola *ergo illa, quæ propter* Dei *cultum cupiditates refrenat, uera dici abſtinentia debet: qualis fuit illa* Ioannis Baptiſtæ, *qui locuſtis ac melle ſylueſtri duntaxat ueſcebatur: aut* Pauli: Hilarionis, Antonij, Baſilij, *ac cæterorum, qui in* Aegypti *ſolitudinem ſeſe contulere.* Eadem *hæc abſtinentia cum ad* Dei *cultum & obſequium referatur certum parſimoniæ modum non habet. unuſquiſq; enim pro ingenio, natura, inſtitutoq́; abſtinet, eoq́; ſolũ cõtentus eſt, quod uitæ neceſsitas poſtulat. cætera non ut mala, ſed ut nimia, non cupit.* Vnde *qui à cibis eo animo abſtinent, quòd eos eſſe per ſe malos exiſtiment, abſtinentes non ſunt: imò multum peccant, dum quicquam malum eſſe à* Deo *factum putant: cum uerum abſtinentiæ officium ſit, à quibuſdam abſtinere, non ut à malis,*

 ſed

ſed ut minimè neceſſarijs: quibus nos ſponte priua mus, uel quo Deum magis placemus, uel ut ad ipſum conuertamur. Quam quidem ad uirtutem ieiunium illud refertur, quod à Chriſtianis nunc & à Iudæis olim obſeruatum eſt ſemper: de quo diſſerere, huius loci non eſt. Abſtinentiæ contraria eſt Gula, id eſt, immoderata ciborum appetitio, ex intemperantia profecta. A qua Guloſus is dicitur, qui uel cibos admodum delicatos accuratè conquirit, uel uaria cõdimentorum genera & ſapores excogitat, uel more belluarum ſe nimium ingurgitat: idq; ob ſolam ciborum uoluptatem, non propter naturæ indigentiam. Talem fuiſſe Antoninum Heliogabalũ Cæſarem Lãpridius teſtatur, qui omne deliciarum genus in ſaporib. quærebat, mirabiliũ cõdimentorum formas excogitabat, eorumq; inuẽtorib. præmia tribuebat. Cuius nõ diſsimiles fuere illi duo helluones Philoxenus & Gnaton, paraſiti: qui cũ conuiuijs adhiberentur, in patinas ciborum emungebant, ut cæteris abſtinentibus, ſoli cibos omnes abſumerent. Hoc aũt gulæ uitium, præter id quod magnas in animo cõmotiones excitat, multorũ eſt uitiorum ſemẽ. Cum gula multi patrimonia ſua exederint: alij, ut conſuetã uoluptatẽ expleant, ne alieno quidem parcunt: alij incontinentes, petulantesq; fiunt, alij nefanda ſcelera committunt. Nã et primo noſtri generis auctori Adamo ad inobedien-

*obedientiam gulæ uitium acceßit,quo & Dei præ
ceptum neglexit,& morti addictus eſt.Itemq́; dæ-
mon ille tentator,qui Chriſtum ſe in ſolitudine cir
cũuenire poſſe putauit,nõ alias illi inſidias,quàm
gulæ tetendit,dum ex lapidibus panes fieri ab eo
poſtulauit.Itaq; maximum eſt gulæ uitium, natu-
ræq; prorſus contrariũ,cuius in uictu modum tran
ſit,dum nos omnibus cibis ad nauſeam uſq; reple-
mus,noctes ac dies epulamur,in ipſas menſas euo-
mimus,exinanitoq́; uẽtre rurſus ſaturamur.Quod
eo eſt magis uitioſum,quòd nõ natura,ſed praua cõ
ſuetudine,opinioneq; noſtra fit. Abſtinentiæ quaſi
ex altera parte reſpondet Sobrietas, quæ in potus
moderatione uerſatur: quãuis ad omnẽ etiã anini
continentiam transferri ſolet nõnunquam. Eadem
autem definitur:uini ac potionis cuiuſq; debita cõ
tinentia,per quã modo naturæ cõtenti, nihil ampli
us requirimus.Nã cum nobis ad naturæ cupiditatẽ
ſedandam,reſtinguendamq́; ſitim moderata potio
ſit ſatis,quidquid aliud cauſa uoluptatis expetitur,
in uitium cadat neceſſe eſt.Quapropter ſobrietas
eam ipſam appetitionem moderatione coercet,ne
naturæ indigentia in auiditatem inſatiabilem dege
neret.Cuius generis eſt illa eorum , qui uel ex uſu
potãdi ſitim quandam perpetuam contraxere:uel
eandem adhibitis remedijs quærere,ut auidius bi-
bãt,conantur.Ergo propriũ Sobrietatis eſt , ſic o-*

omnes cupiditates cohibere, ut eæ prorſus nō tollā tur, cū naturæ cōmoditati neceſſariæ ſint: ſed ut moderentur ratione & cōſilio, ne propter incontinentiā, homines, quod de Vlyßis *ſocijs* Homerus *ſcribit, in ſues, belluasq́; ſordidißimas cōuertantur: id eſt, ſimiles harū mores ediſcant.* Eſt aūt Sobrietas *cùm omnibus ualde neceſſaria, tum maximè ijs qui curā aliorū habent, ut magiſtratui, ac principi: uel ijs qui ſunt infirmioris naturæ, ut iuuenibus, fœminis, ſenibus, quibus omnibus* Plato *uini uſum in rep. ſua prohibet, ne quid agant intēperanter: quod in ijs eſt ualde turpe.* Paulus Apoſtolus *ad* Titum *ſcribens ſobriè, iuſtè, ac piè uiuere nos præcipit: quòd eſſe pij ac iuſti minimè poßimus, niſi etiam ſimus ſobrij.* Vt *enim ex incontinentia multa uitia dimanant, ita multæ uirtutes ex ſobrietate: quæ in primis rationis ſtatum tranquillè conſeruat, perturbationes cupiditatesq́; animi componit, totius deniq; animalis concordiam & quaſi partium cō centum efficit.* Huic *cōtraria eſt ebrietas, eademq́; eſt immoderata potionis cuiuſuis, quæ poßit inebriare, expetitio: quæ ſi ex habitu uitioſo naſcatur, ebrioſitas: ſi ex caſu quodam, & ignoratione, ebrietas nominatur. ſiquidē illa iam uſu inueterata frequentior eſt, hæc fortè ignorantem uſu rationis priuat.* Vt de Noa *ſacræ literæ teſtantur, qui dum, uini ignorata ui, largius bibiſſet, inebriatus eſt.*

Eius

Eius uitij actio eſt, ut homo rationis uſu priuetur, cupiditates multæ exoriantur, petulantes & impudentes ebrij fiant, inutiles ad actiones reddantur, ſecreta patefaciant, affectusq; alij infiniti naſcantur, pro cuiuſq; natura: ut riſus, lachryma, ira, contentio, conuicium, dicacitas, furor. Quæ omnia accuratè complexus eſt Horatius:

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.
Spes iubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem,
Solicitis animis onus eximit, addocet artes:
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

Multũ tamẽ intereſt ad uitij eiuſdem turpitudinem, num ex habitu, id eſt ebrioſitate, an ex ſimplici affectu, caſuq; fortuito quis inebrietur. Nã quæ fieri ignoratione ſolet ebrietas, minus eſt uitioſa, quàm quæ ex uſu penè quotidiano, ſiquidem illa ſemel, hæc ſemper rationem perturbat. Quapropter cauendum eſt, dum bibitur, ne naturæ noſtræ modum excedamus, neue ſolum ad commeſſationes & ebrietatem nati uideamur: quãdo, ut uiuamus (teſtimonio Socratis) edimus ac bibimus, non tamen econtrà. Et qui Græcorum more uelit potui indulgere, is uentri ſolũ uiuere, cõſilioq; ac ratione prudens orbari uidetur. Ea de cauſa Pythagoras ebrietatem inſaniæ meditationem uocabat: & Anacharſis, poſt tertiũ hauſtum bibere, ſummæ eſſe demen-

tiæ dicebat. Nam quod eſt ſiti reſtinguendæ ſatis, bibere, naturalis neceſsitatis eſt: plus aũt ad uoluptatem ſumere, effrenatæ incõtinentiæ. Quo nomine olim Parthi, Græciq́;, tantum ebrietatis cauſa infamati à cæteris nationibus ſunt: è Romanis uerò (ad quos, lõgo interiecto tẽporum ſpacio, uitium illud peruenit) M. Antonius multum à Cicerone uituperatur, quòd nihil eſſe homine indignius poſsit. Tiberius Claudius Nero Cæſar adeò fuiſſe incontinẽs perhibetur, ut mutatis eius nominis literis priorib. Biberius Caldius Mero nominatus fuerit. Nouellium itẽ Torquatum & M. Ciceronem, Marci, oratoris filium, adeò in uini potu intemperãtem fuiſſe Plinius cõmemorat, ut is corã Tiberio Cæſare tres uini congios uno hauſto epotarit, cum binos ſimul haurire ſit ſolitus. Sed quid ego plurium antiquorum exẽpla proferam? cum uideam in Germania Belgicaq́; Gallia, multos menſis totos dies ac noctes aſsidere, & compotationibus tempus inſumere, nec inde crapula conſopitos ſurgere poſſe, ſed abduci? Sed hæc ſatis de abſtinentia & ſobrietate.

De

De caſtitate ſeu pudicitia, deq; continentia,& clementia.

Cap. 26.

Diximus de ciborũ ac potionis moderatiõe, id eſt,abſtinẽtia, & ſobrietate:in quo temperãtiæ officium nõ minimum uerſatur. Sequitur ut de Venereæ libidinis cõtinentia, id eſt pudicitia, ſeu caſtitate diſſeramus.Caſtitas & pudicitia, quã quam inter ſe differre uideãtur,diuerſæq; uirtutes putentur,eædem tamen ſunt,ſoloq; nomine nõ autem re diſtãt:cum utraq; ad corporis & animi integritatem pertineat,utraq; Venereas cupiditates cohibeat,atq; animi ſeruet intactã puritatem.Virtutis huius ſedes non in animo tantum collocatur, ſed in corpore etiam.Et quamuis uitietur hoc ipſum ui aliqua illata,dummodo integer ac purus ſit ille:nõ minus remanet pudicitia,quàm intacto corpore.Cõtrà fiet,ſi uoluntas appetitioni cõſentiat, amboq; ſimul cupiditate rapiantur: tunc enim & animus & corpus pariter uitiãtur.Ex quo patet, pudicitiam integritatem eſſe animi quandam contra omnem Veneream libidinem.Huius origo eſt, uoluntaria ſeueritas,quæ uel naturalem libidinis impetum coercet:finis uerò,Dei cultus,et obſequium,cuius cauſa puritatem animi ſeruamus.Eadem præterea pudicitia quamuis una ſit & eadem uirtus,uariari tamen ſolet pro eorum diuerſitate, in

quibus fuerit. Nam in uirginib. quæ animo corporeq́; pudico ſunt, Virginitas appellatur: in cœlibe ac uidua, cœlibatus & uidualis caſtitas: in cõiugatis, cõiugalis. Horum *trium generũ præſtantiſſima eſt Virginitas, Deoq́; maximè grata: quoniã uel naturæ cupiditatem euincit, ut animi ſinceritas cõſeruetur. Singula tamen illorũ ſuam habẽt dignitatẽ, laudanturq́; diuerſa ratione.* Nam *cœlibũ ac uiduarum pudicitia, quæ ſecunda eſt poſt uirginitatem, in cupiditatum continentia uerſatur, magnamq́; uim exigit ad appetitum illum cohibendum, qui expletus aliquando fuerit. Vltima eſt coniugalis: quæ in matrimonij legibus ſeruandis conſiſtit. In unoquoq́; generũ iſtorum permulti maximè excelluere, quos in medium adducere longiſſimum eſſet: ut* Maria *Chriſti mater, unicum pudicitiæ ſpecimen,* Lucia, Agnes, Iohannes Baptiſta. *Quibus in ſuo genere* Virginia & Lucretia, Romanæ *fœminæ, tametſi minimè cõparandæ, non parum laudis habuere. Quas inter non parua* Mariæ Coronellæ Hiſpanicæ *matronæ laus fuit: quæ marito diutius militiæ commorante, cum acri libidinis ardorẽ inflammaretur, ardenti face pudenda inuſſit, ut ignis ui flammam libidinis extingueret. Quibus ex rebus intelligitur, quanta ſit uis pudicitiæ, quantumq́; robur, cum naturæ noſtræ imbecillitatem exſuperet, conſtanterq́; impetus cupiditatum cõprimat;*

mat:ut quamuis natura corporis intemperans mẽtem cõmoueat, Laſciuia & formæ amor exagitet, aut uis à quoquã inferatur, ſemper ſibi tamẽ ratio firma & infracta conſtet, ſemperq́; purã caſtitatẽ ſeruet. Contraria pudicitiæ eſt libido, quæ Venereæ cupiditatis affectio immoderata eſt. Hæc quanquã à natura ad ſui generis conſeruationem animantibus uniuerſis tributa eſt, ſolet tamen animum uehementer commouere. Quoniam enim ex alimenti naturalis portione in membra genitalia demiſſa ſemen, ex ſeminis autem affluentia libido gignitur, ſi animus huius impetui cedat, primò mentis acies obcæcatur, conſilijq́; fit expers: iñ præceps in uoluptatem obiectam cõcitatur. Id efficit, ut cõmunis cum belluis ſit homini libido, & eiuſdẽ appetitus. Sed hoc tamen intereſt, quòd illa nunquã niſi ad ſobolis procreationẽ ſuo ſimili copulatur, homo aũt ſæpe uoluptatis cauſa naturæ modum non tenet. Indicauit hoc Cæſaris Commodi perdita libido, qui trecentas concubinas habuiſſe, ijsq́; plures, dicitur. Qua etiã non minor Meſſalinæ Auguſtæ, Claudij Cæſaris uxoris, impudicitia fuit: quæ noctu, ut notat Iuuenalis, mariti thoro relicto, ſumptaq́; ſcorti uiliſsimi ueſte, in pub. lupanari proſtare uiſa eſt aliquãdo, ut immanẽ libidinis uoluptatẽ ſatiaret, quam uix tamen poterat explere, quãdoquidem Laſſata uiris, ſed non ſatiata receßit. ut

ait idem poeta. Ex *huiuſmodi ergo libidine ſcortatio, adulteria, inceſtus, ſtrupra, nefandaq; alia ſcelera naſcuntur: quæ nominari, quin aures honeſtas offendãt, nõ poſſunt.* At *uerò neq; uitij huius turpitudinem in ipſa ſolum cõiunctione ponimus: ſed in animi et uitio, ac labe.* Nã *qui animo libidinoſo eſt, quãuis ab inhoneſto cõtactu abſtineat, nõ minus eſt uitioſus, quã ſi re ipſa, quod appetijt, exequatur.* Quo *nomine in* Euangelio *Chriſtus:* Qui *uiderit, inquit, uxorem proximi ſui, & concupiuit eam, iã mœchatus eſt in corde ſuo.* Nõ *iudicat ex concubitu inhoneſto libidinem, ſed ex animi motu interno, qui ad illam agitur, ſine mentis conſilio.* Veniamus *iam ad continentiam, reliquasq; temperantiæ partes.* Continentia, *quæ cum abſtinentia, pudicitiaq; eadem eſſe uidetur, temperantiæ forma eſt, per quam, ut* Cicero *definit, cupiditas cõſilij gubernatione regitur.* Propriè *tamen, ut à nobis hoc loco capitur, moderatio eſt cuiuſq; appetitionis, tam uenereæ, quàm ſenſuum aliorum.* Nam *qui abſtinens eſt, ac pudicus, & ſobrius, continens eſt etiam: at non omnis continens, continuò eſt ſobrius aut pudicus.* Quando *ergo continentiæ nomen adeò latè patet, commune cuicunq; appetitus moderationi erit: eademq; ipſa temperantiæ ſubijcietur, non ut uirtus abſoluta, quẽadmodum ait* Ariſtoteles, *ſed ut inchoata, qua in cuptditatib. cohibendis utatur*

temperantia.

temperantia. Quo fit, ut eius ſubiectũ ſit in uolun tate, quæ poßit appetitum ratiõi ſubmittere, ac mo dum uoluptati ſtatuere. Quinetiã ad uerum tempe rantiæ officium neceſſaria eſt prorſus cõtinentia, ueluti cupiditatum frenũ, quo ratio ad eas cohiben das utitur. Eidem *contraria eſt incontinentia, quæ immoderata eſt uoluptatum cupiditas, ratione non prohibente.* Hæc *ipſa non minus latè patet, quàm continentia, cui aduerſatur: quia ad omnem animi immoderationẽ refertur. Qui enim libidinoſus, ebrius, impudicus, & immoderatus eſt, idem quoq; eſt incontinẽs.* Proprium *ergo uitij huius eſt, uolu ptates quaſcũq; rationis cõſilio neglecto ſectari, do lorẽ omnẽ fugere, nullã deniq; perfruendæ iucundi tatis occaſionem omittere.* Propterea *eidem affinis eſt mollicies, per quã moleſtiæ cuiuis cedimus, pœnitentia elapſæ uoluptatis, appetitio immoderata, perturbationesq; aliæ, quæ omnino rationi te nebras offundunt.* Fons *autem incontinentiæ eſt, appetitoria animi facultas, in qua omnium cupiditatum uires inſunt. Quæ* Platonis *&* Ariſtotelis *ſententia ex tribus animi facultatibus, ratione, ira cundia & appetitu, abiectißima, turpißimaq; eſt.* Vnde Socrates *apud* Xenophontem, *hominem incõtinentem peßimi domini ſeruum appellat. ac* Pythagoras, *liberum eſſe illum negabat, qui affectib. inſeruiret.* Nã *ſi libertas eſt, ut* Cicero *definit, po-*

teſtas

ſtelis ſententia Seneca in eodem libro diſſentit,qui clementiæ nullam mediocritatem aſsignat, eamq́; potius uirtutem eſſe lenitatis ait,qua impetus iracundiæ ratione retardetur Quam itidem propriam eſſe ſuperiorum in inferiores affirmat,quod in pœnis exigēdis uerſatur. Quocirca huic aduerſam ſtatuit crudelitatem,quæ ſit animi atrocitas in uindicta ſumenda. Sed harum quidem ſententiarum ueriſsimā eſſe Senecæ prorſus exiſtimo, cum nulla ſit clemētiæ mediocritas,duobus extremis interiecta. Nam unum illi uitium iracundiæ & crudelitatis aduerſari,dubium nō eſt,& Ariſtoteles ipſe fatetur. At nemini ſuccenſere,æquoq́; animo cōtumelias ferre,nō modò,ut ille arbitratur,uitioſum,aut ſeruile non eſt:ſed etiā ſummæ uirtutis,id eſt,patientiæ. Ergo ſi nec nimia contumeliarum tolerātia uitium eſt,nec duo etiā,ſed unum clementiæ uitiū duntaxat repugnat:nullam eſſe illius mediocritatem concluditur. Quapropter clementia per ſe uirtus abſoluta erit:eaq́; in nullo medio uitiorum locata:cui contraria eſt crudelitas, de qua deinceps ſuo locò dicetur. Sedes uirtutis huius eſt,animi iraſcibilis facultas,in qua moderāda cōſiſtit:finis uerò cultus Dei propter quē nemini aut infeſti eſſe aut nocere debemus,omnesq́; alios tū ſuperiores tū inferiores humaniter tractabimus. Eo fit,ut clementia homini ſit admodum naturalis, cum nō ma

gis

gis eius naturam, ut putat Ariſtoteles, attingat, iniuriam ulciſci, quàm remittere. Hoc *enim cæteris animantibus antecellimus, quod ad iuſticiam et humanitatem nati ſumus, non ad ſæuitiam, aut in humanum genus odium.* Atq; *etiam ſi probi uiri eſt, aliorum miſereri, anguſtiam cuiuſq; dolere, iniuriam condonare, miſerum non affligere, nihil deniq; atrociter & crudeliter facere: certè propria erit eius clementia, cuius eſt omnia hæc agere.* Eſt *porrò munus eiuſdem uirtutis, humanitatem inter omnes exercere, neminemq; uel aduerſarium lædere: inferiorem ſummo iure non punire, ſed moderatione benignitateq; cuncta metiri.* Exemplo *huius rei eſſe poteſt* C. *Cæſar, qui manſuetudine humanitateq; omnes ſuperauit, dum uel hoſtes acerrimos animo manſueto conſeruauit, ac nonnunquam beneficijs ornauit.* Huic Titus *Veſpaſianus Cæſar extitit ſimillimus, quem generis humani delicias Suetonius appellat: qui adeò clemens tum in alijs, tum in illa* Hieroſolymorum *uaſtatione fuit, ut cum urbem, facta irruptione, intraret, magnamq; ciuium ſtragem conſpiceret, illacrymaſſe feratur.* Idem *cum detectæ coniuratorum in illum inſidiæ eſſent, non modò nullo eos ſupplicio affecit, ſed etiam ſibi magis beneuolentia copulauit: putans nimirum nullam regib. tutiorem firmioremq; fore cuſtodiam, quàm in ſubditos humanitatem: qua & ornatiſsimi*

& omni

& omnino amabiles ſunt, atq; à tyrannis plurimũ diſcrepant:quorum eſt proprium,omnia crudeliter facere,nulli culpam condonare, atq; animi feritate quadam in omnes ſæuire. Contrà uerò principis clementia iracundiæ impetum refrenat,crudelitatem mitigat , & ratione cuncta moderatur. Quamobrẽ miſericordia clemẽtiæ coniũgitur,ut hæc magis rationi rectæ cõgruat,Deoq́; grata ſit, ſine qua nemo clemẽs humanuſq; poßit eſſe. Nam qui miſericors,idẽ quoq; clemẽs eſſe uidetur: ac uice uerſa Qua ex re conſtat,Senecã & cũ eo totã Stoicorũ ſcholam falli ac decipi,qui miſericordiã inter animi morbos ponãt,eamq́; dicant uitioſam eſſe.Putat enim ille,fracti eſſe animi,alienis malis dolere,triſticiámue ex ijs cõcipere: cũ non uideat, eadẽ ſe ratione illã,quã laudat , clementiã pariter tollere,ſi miſericordiã ſuſtulerit.nã quo pacto quis clemẽs eſſe poßit,ſi dolore prius alienæ miſeriæ nõ cõmoueatur?niſi fortè illũ ſine ſenſu ſiue humanitate ac iudicio,clementem eſſe dicamus. Sed ſtudio illi,ut mea fert opinio,eximẽdi ab animo affectus miſericordiã ſuſtulere,quæ non modò morbus mẽtis non eſt,ſed ſumma etiam præſtantißimaq́; uirtus,in qua uel fœlicitatem Chriſtus collocandam putauit,apud Matthæum inquiens: Beati miſericordes quoniam ipſi poßidebunt regnum cœlorum.Sed his nunc omißis,quæ longiorem tracta-

lam crudelitatem cum clementia pugnare,cum h a
bitus ſit:non iracundiam,quæ naturalis eſt facultas.
Hoc tamē efficit iracundia,ut eam animi ſæuitiam,
ex qua oritur crudelitas,incendat, difficilioremq́;
reddat.Quod cū ab humanitate,benignitateq́; ho-
minum abhorreat,efferati ac truculēti animi red-
dantur,nullaq́; ſui generis miſericordia ducuntur.
Huius generis ſunt ij, quorum antiquitas feritatē
commemorauit:Buſiris Aegyptiorum rex,Diome
des,Phalaris,Annibal: è Romanis uerò Seruia Tul
lia,Seruij regis filia,quæ per patris cadauer carpē
tum,quo uehebatur,ire coegit:L.Sylla,Spartacus,
Cinna,aliaq́; hominum portenta.Eandem ob cau-
ſam crudelitati adiuncta eſt immanitas, quæ illam
reddit acriorem.Differunt eæ tamē duæ,quòd cru
delitas,humanitatis ſolum leges tranſgreſſa, ultio-
nis libidinem expreſſe cupit,eoq́; contenta eſt:im-
manitas uerò longiſſimè illam ſuperat,nec ſeuitiæ
modū habet.Qualis erat illa Claudij Cæſaris,qui
ſi quos gladiatores prolabi in arena cerneret,dum
depugnarēt,coràm iugulari iubebat,ut præſens ex
pirantium ora intueretur.Vtrunq́; ſanè uitium dē
terrimum eſt,clementiæq́; maximè contra-
rium,in qua ſummam benignitatem
collocamus.

De modeſtia, ſeu moderatione, atq; eius partibus. Cap. 27.

EXplicatis temperantiæ iјs partib. quæ circa iracundiã cupiditatemq; verſantur, diſſeramus nunc de reliquis eiuſdem formis, initio à modeſtia ſeu moderatione ſumpto. Hanc ipſam, quam Græci cõmuni nomine σωφροσύνην appellãt, Ci*cero temperantiam, frugalitatem, moderationem, ac modeſtiam nominat.* Sed *eam nos anguſtius hic uſurpantes, pro mediocritate quadã delectationũ affectuumq; capimus, quæ uirtus priuata ſit, ac forma quædam temperãtiæ.* Eáq; *ab eodem* Cicerone *definitur, uirtus, per quã pudor honeſtus clarã & ſtabilem cõparat auctoritatem: à* Platone *uerò, uoluntaria ad id quod optimum iudicatur, conceſsio.* Propriè *tamen modeſtia eſt, mediocris uoluptatum temperatio, per quã animi tranquillitas conſeruatur.* Differt *à tẽperaniia, quòd illa circa mediocres affectus, in quibus eſt exigua difficultas, uerſatur: hæc nimias & immoderatas cupiditates continet.* Quocirca *officium ipſius eſt, ſic motus eos animi moderari, ut magna omniũ actionũ cõſenſio ſeruetur.* Nam *ut in corpore uenuſtas ex apta partium congruentia perſpicitur: ita in animi moderatione cernitur modeſtia quaſi eius pulchritudo quædam, quæ cogitatione ſecernitur à temperantia, re aũt eſt eadẽ.* Ipſa *uerò modeſtia nõ in aliquo affectionis*

nis genere peculiari uerſatur, ſed ad omnem animi motũ æquè pertinet, ideoq; fuſa per iracundiã & cupiditatẽ eſt: quoniã qui modeſtus eſt, irã, odium, amorẽ, ambitionẽ, arrogantiam, libidinẽ, cæteroſq; inhoneſtos appetitus moderatur. Id in Qu. Fabio Maximo demonſtrari poteſt, qui cum ſe quinquies cõſulatu, quem ſæpe maiores ſui magno cũ honore geßiſſent, defunctum animaduerteret, ac eius filius ſummo omniũ conſenſu cõſul renunciaretur, cum populo ſtudioſe agere cõtendit, ut ſuo generi uacationem cõcederent, nollentq; diutius in eadem familia tantũ honorem cõtinuari. Plato etiam Athenienſis, cum ob delictũ ſeruo cuidam iratus eſſet, ne illum acrius ipſe puniret, iræ motu perturbatus, Speuſippo tradidit flagellandum. itaq; in omnem immoderatam animi affectionem uim habet modeſtia, nec ſolas cohibet cupiditates, ſed omnẽ à ratione auerſum appetitum. Quæ eadem cum uarijs in actionib. cerni uariariq; poßit, ex ſe alias uirtutes quaſi ramos propagat, ut humilitatẽ φιλομαθίαν, id eſt ſciendi ſtudiũ (uel ſi uerbum è uerbo reddimus, ſtudioſitatem) feſtiuitatem, quam Ariſtoteles εὐτραπελίαν nominat, & ornatum: de quibus eſt ordine diſſerendũ. Humilitas, quæ uirtus eſt moderandi inſolentiã, à philoſophis inter uirtutes alias nunquam relata eſt, uitiumq; potius deiecti animi putatur. Nam ab honoribus planè abhorrere, ſeſe

paruipendere, nihil ſibi tribuere, deiecti uitioſiq; animi & Ariſtoteles et alij multi eſſe putarũt: nos aũt qui melius uirtutes ueras agnoſcimus, humilitatem, ſeu propriam extenuationem ſummam eſſe uirtutem contendimus, imò nullam Deo gratiorem iudicamus: cum hæc ipſa potiſsimum à Chriſto ſit commendata tum exemplis, tum etiam teſtimonijs, qui præterquàm quòd humanam naturam aſſumere, cum Deus eſſet, uoluit, quærentibus ab eo diſcipulis, quis maior in regno cœlorum eſſet, commonſtrato puero: Quicunque (ait) humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum. Quòd autem humilitas uirtus ſit, ratione confirmari etiam poteſt: quando contraria ei arrogantia uitioſa eſt. Etenimſi de ſe plus quàm uires permittant, exiſtimare, ſuperbi & arrogantis eſt. nemoq; tam rectè de ſe iudicat, quim ſui amore obcæcetur: certè non modò aliquid in ſe magnifacere, ac iactare, uitium eſt: ſed etiam ſe extenuare, atque humilem cenſere, maxima uirtus. Docuerũt hoc multi uel ipſorum ethnicorum hominum, qui aut magiſtratibus ſeſe abdicarunt, aut contemptis honoribus à rep, diſceſſerunt. Curius Dentatus is cui uxor aranti Dictaturam induit, ut canit Iuuenalis, geſto fœliciter bello, uictisq; populi Romani hoſtibus, haud eo amplius honore elatus eſt, aut priſtinam uiuendi rationẽ deſeruit: imò uerò ad prio-

rem

rem agricolationē rediit, neglectis omnib. reip. negotiis. Socrates uerò, philoſophorū Apollinis oraculo ſapiētiſsimus, nihil ſe prorſus ſcire fatebatur. alij demū quàm plurimi, cū magni & excellentes uiri eſſent, quòd ſeſe extenuarint, ſapientiſsimi habiti ſunt. Ergo ſi apud homines humilitas uirtus cenſetur, eaq; animi magnitudini, ut antea docuimus, nequaquam repugnat, adiungenda eſſe modeſtiæ uidetur, tanquam eius forma quædam, non actione, ſed ſubiecto ab illa diſcrepans. Siquidem modeſtiæ id eſt, ut in omnibus cupiditatibus mediocritas ſeruetur: humilitatis uerò, ut nos extenuemus, imbecillitatēq; noſtrā agnoſcamus, nihilq; magnū nobis temere attribuamus. Id nulla ratiōe alia clarius intelligetur, quā ſi homines nos eſſe, imbecilles, deprauata uitioſaq; natura, multis, deniq; malis & ærūnis obnoxios noſcamus. Quæ omnia, ut mala per ſe ſunt, ita nobis ineſſe conſideremus: profectò huius uirtutis habitū aſſequemur. At ſi iis quaſi occultatis, bona ſolū noſtra uenditemus, nobisq; ipſi multum placeamus: ſuperbi omnino ſimus neceſſe eſt. Quo nomine humilitas ex propria cuiuſq; notitia oritur, prudētiæq; arctiſsimè aſtricta eſt, quoniā iſtiuſmodi cognitio ex illius iudicio proficiſcitur. Demiſsio aūt, atq; adeò humiliatio, ex modeſtia. Eo fit, ut actio modeſtiæ præcipua ſit hominē ſe ipſum agnoſcere: bonaq; omnia nō ſibi, ſed Deo

tribuere, à quo cuncta nobis proueniunt. Humilitati contraria eſt arrogantia, quæ hoc in loco pro habitu inſolentiæ ipſo capitur, non pro affectione. Eſt aũt eadem, immoderata animi iactatio, quæ cũ ex falſa ſui opinione naſcatur, imprudens ac cæca eſt. Et *quemadmodum humilitatis eſt, ut ſuã homines tenuitatem & agnoſcant, & extenuent: ſic etiã arrogantiæ, ut bona ſolum iactent, ac ſibi plurimũ arrogent.* Hæc *ipſa ex amore proprio, ac ſui ignoratione oritur in pleriſq;, ideoq; magis ingrata* Deo *eſt: à quo cũ omnia bona acceperimus, nobis tamen illa tribuentes, debitam ei gratiam non habemus.* Quoniam *uerò immoderata eſt arrogantia, iudicio mentis caret, multa ſecum uitia affert, quæ pro affectus uarietate modò in lucẽ eduntur, modò etiã prætextu modeſtiæ occultantur: ut leuitas, ſimulatio, licentia, cõtemptus, elatio, ambitio.* Themiſtocles Athenienſis, *quamuis imperator alioqui ſtrenuiſſimus, Seryphio cuidam dicendi illum non ſua, ſed tantæ patriæ gloria illuſtrem eſſe: reſpondiſſe fertur,* Etiam *ſi ego Seryphius, tu aũt* A*thenienſis eſſes, nec tu plus gloriæ propterea haberes, neq; ego minus.* Superbum *& arrogans dictũ, niſi ſummo uiri ſplẽdore excuſaretur: ſed cõdonandum eſt aliquando animi magnitudini, qua qui ſunt præditi, non raro elatiores alijs eſſe ſolent.* Ex *quo intelligitur, magnum eſſe arrogantiæ uitium, cum*

nō Deo tantum odioſum ſit,ſed etiam apud homines malè audiat. His igitur ita propoſitis,ad reliquas modeſtiæ partes nos cōuertamus:quarum prima φιλομαθία,id eſt diſcendi ſtudium, ſiue ſtudioſitas,ut ita dicam.Hæc quanquam naturalis eſſe affectio uideatur,quòd natura homines ſciendi auiditate ducantur,tamen hîc à nobis pro habitu cupiditatis eiuſmodi capitur.Eademq; humilitati arctiſsimè cōnnexa eſt,quoniam ex propriæ ignorationis notitia proficiſcitur. Atq; ut humilitate homines tenuitatem ſuam agnoſcūt,ita ſciendi ſtudio ignorantiam ſuam fatentur:quam tollere cū uelint,ad rerum diuerſarū intelligentiā animū inducūt. Virtutis huius ſubiectū eſt,quidquid in ſcientiā aliquā cadit:finis aūt ipſa cognitio,qua adepta, cupiditas ſatiatur.Eſt uerò eiuſdem officium,addiſcere quidquid ab hominibus ſciri poteſt:eoq; minus diſcendo ſatiari,quod nullum eſt diſciplinarum extremum,finiſq; nullus.Id in Pythagora,Platone,Ariſtotele,cæteriſq; philoſophis perſpicuum eſt,qui uitam omnem in ſtudijs contriuere,quiq; orbis remotiſsimas regiones,ut aliquid ediſcerent,peragrarunt.Solon Athenienſis,is qui leges ciuibus ſuis tulit,adeò ſciendi cupidus fuiſſe dicitur à Platone,ut id ſæpius uſurpare ſit ſolitus,Seneſco diſcēs.Quoniam uidelicet ſtudiorum diuturna ſit cupiditas, quæ niſi cum uitæ exitu nunquam terminatur.

ſtudio diſcendi,nos maximo tenemur. Sed hoc tamen uitio nullum equidem,quamuis ſtolidiſsimum, contaminari crediderim,cum omnes natura duce diſcendi cupiditate trahantur. Sed animo complectendum eſt uitium ipſum uirtuti cõtrarium,ut eius medioeritas eluceat. Cum in multis ſæpe talis ſtoliditas inueniatur,nõ quidem eorum naturæ uitio,niſi mente capti ſint,ſed adepta quadam animi ignoratione,diuq́; confirmata. At uerò curioſitate non pauci ferè peccant:cum multi,dum ueram honeſtæ huius cupiditatis tenere mediocritatem ſe putant,in uitium maximum incidũt. Eſt autem curioſitas,immoderata atq; indecens addiſcendi cupiditas:non qualis eſt illa inſatiabilis animi auiditas, quæ ſtudiorum amori coniungitur:ſed diuerſa quædam alia,cuius turpitudo nõ in ipſo ſciendi ſtudio ac deſiderio conſiſtit,ſed in rerum malarum inquiſitione & cognitiòne. Nec enim qui multa ſcire optat,curioſus appellatur:ſed qui multam in rerum uanarum turpiumq́; ſtudijs operam poſuerit:ut ſi quis magiam diuinationemq́; addiſcat:ſi cũ dæmonibus amicitiã ineat,ut ab ijs quicquam reſciſcat: ſi ea demum quæ ab humana natura ſint aliena,inueſtiget. Cuiuſmodi fuit ille Apollonius Tyaneus,à Philoſtrato alijſq́; multis magnopere celebratus, qui ut magiã cognoſceret,Indiam ac Taurũ montem penetrauit,quiq́; tripodem ex ære,ac Faunos

quoſdam

quoſdam fabricatus eſt, qui ſpõtè cibos ſuppeditarent, quiq; menſæ miniſtrarent. Tale hominũ genus diuinæ literæ reprehendũt, et accuſant: ne nos plus quàm ingenij humani acies attingat, inquiramus, aut diſcere uelimus. Sequuntur duæ reliquæ modeſtiæ partes, Feſtiuitas inquam, & ornatus, quæ cum in rerum externarum moderatione uerſentur, diuerſam à ſuperioribus habent rationem. Feſtiuitas, ſeu comitas, quã συτραπελίαν *nominat Ariſtoteles, moderatrix uirtus eſt ioci ac ludi. Cuius finis eſt, uitæ moleſtias leuare, mœroremq; tollere, quando ſeueritatem perpetuò ſeruare nõ poſſumus: & qui nulla frui iucunditate uelit, is planè aſperam & intolerabilem uitam agat neceſſe eſt. Itaq; quoniã neceſſaria eſt in uita iucũditas aliqua ad labores minuendos, in eoq; opus moderatione eſt, totũ id nobis feſtiuitas præſtat, ut nõ modò capta uoluptas iucũda & utilis ſit, ſed honeſta etiam et moderata. Eſt aũt illius officiũ, moderatè homines exhilarare uel dictis, uel factis uoluptatẽ afferentibus: idq; nõ ſcurriliter, et ad profuſam hilaritatẽ, ſed ad modeſtã dicẽdi audiẽdiq; ſuauitatẽ. Ideo ſubiectũ illius eſt, iocus, ac ludus, ſalesq; ſermonis. Eadẽ præterea uirtus in mediocritate quadã uitiorũ ruſticitatis & ſcurrilitatis, ab Ariſtotele ponitur: quoniam non adeò profuſa eſſe debet feſtiuitas, ut abſcedat à modeſtia. nec adeò rurſus uita hominis auſtera,*

auſtera, quin aliquando oblectetur. Quo nomine uirtus ipſa mediũ tenet, acceditq́; ad alterum extremorũ aliquando pro loco, tẽpore, occaſione, perſona, cæteriſq́; adiũctis. Nã ad ſcurrilitatẽ in eo feſtiuitas accedere uidetur, quod hilaris eſt: ad auſteritatem, quod cõtinens ac modeſta. Ergo feſtiuitatis eſt, in iocis honeſtis uti honeſto ac liberali quodam lepôre, ad hominis ærumnas delendas. Neq; enim ubiq;, nec in quouis, aut quocunq; modo ut i ea decet: ſed cũ neceßitas poſtulat, ita ut perſonæ, loci, tẽporis, ſalium, dignitatiſq́; ratio habeatur. Lepos aũt hic, de quo loquimur, natura ineſſe quibuſdam ſolet, qui dexteritate quadã ingenij magnã in dicẽdo habent gratiã, quiq́; cũ more cõmuni loquãtur, neſcio quomodo facetè, acutè, aptè, ſubtiliterq́; dicunt. Hanc uim Socrati, quẽ εἰρωνεία Græci uocant, in ſcriptis ſuis Plato tribuit: Cæſariq́; M. Tullius, quẽ ait magna dicendi ui excelluiſſe. Sita eſt prætere a nõ parua lepôris uis in ipſa hominũ opinione, qui magnã in quibuſdã gratiam eſſe cenſent, quiq́; aliquos facetos exiſtimãt, quòd eam de illis opinionem conceperint. Diuerſam deniq; ſequitur unuſquiſq; rationem feſtiuitatis, pro guſtus & ingenij uarietate. Omnino tamen leporis eſt magna gratia habenda, ſiue is naturalis, ſiue ex induſtria, opinioneq́; ſit. Nam qui modeſtè facetus eſſe, ac uenuſtus uelit, prudentiã in primis colat neceſſe eſt, id quod

ſuo

ſuo Cicero oratori præcipit.Itaq; modeſtia & grauitate dicẽdi tẽpus ac perſonã cõſideret,nec tam riſum mouere,quã moderata iucũditate auditorẽ delectare uelit. Nec uerò dicacitas nocere debet cuiquam,quod eſt maximè cauendũ,ne amicũ potius, quàm dictũ,ut fertur,perdere malimus:ſed eã ſemper moderationẽ in omnib.obſeruabimus;ut nihil fiat intemperanter,nihil imprudẽter, ac turpiter. Multæ huiuſce generis facetiæ graues ac iucundæ magnorũ uirorũ circũferuntur,quæ feſtiuitatis argumenta eſſe poſſunt:multaq; ſunt antiquorum,recentiorumq; preclarè dicta, quæ Græcò nominè ἀποφθέγματα uocantur,plena iucũditatis,ac modeſtiæ.Cuiuſmodi eſt illud Bionis facetũ & graue dictũ,in eos qui mortẽ aliorũ impatienter ferunt, ac lugent:qui perinde ineptũ eſſe dicebat, capillũ in morte alterius præ dolore ſibi;ut ſæpe fit,euellere,ac ſi caluitio dolor animi leuaretur.Cũ ergo uera feſtiuitas poſita in medio uitiorum duorũ ſit,uidendũ nũc eſt,quæ,aut qualia ſint ea uitia. Auſteritas,ſeu ruſticitas uitiũ eſt triſticiæ cuiuſdã pertinacis, per quod homines aut obiectã uoluptatẽ aſpernãtur,aut eandẽ uitant,cũ uitæ neceßitas poſtulat. Scurrilitas uerò,uitiũ effuſæ ac leuis iucunditatis. Triſticiam quidem ſemper amare nemo prudẽs et humanus poßit:niſi alios,ac ſe ipſum planè oderit: ut Timon is,qui ut tetricus & inhumanus fuit,hominum

minum aliorum conſpectum & colloquia uitabat. Quod ſanè hominum genus cum abhorrẽs ab humanitate ſit, multorum etiam uitiorum labe cõtaminatum eſt: ut feritatis, immanitatis, crudelitatis, odij, ſeuitiæ, & aliorũ, quæ ab una animi auſteritate naſcũtur. Cui etiã affine eſt peculiare quorundã ingenium tetricum & agreſte, qui ne ridere quidẽ uiſi ſunt: ut M. Craſſus, Pythagoras, Xenocrates: quos ἀγελάστους Græci, id eſt, riſu uacantes nominarũt. Hæc aũt ſeueritas, ſi naturã eius ſpectemus, nec bona nec mala eſt, atq; in multis etiam laudari ſæpe ſolet. Inter eſt tamẽ permultum, utrum ex naturali grauitate ipſa naſcatur, an ex prauo quodã ſuperciliosoq; ingenio: itemq; num rationi conſentanea ſit eadem, an ab ipſa abhorreat. Nam quæ naturalis eſt, recteq; rationi congruit, laudabilior ſolet eſſe ea quæ affectata & ex conſuetudine adepta: imò hæc uitioſa difficiliſq; eſt, illa laudabilis & grauis. Alterum feſtiuitati contrarium uitium eſt Scurrilitas, quæ nimio delectationis ſtudio efferetur, quæq; non uitæ neceſſariam iucunditatem, ſed uoluptatẽ immoderatam, & inanem auditorũ applauſum ſectatur. Id in hiſtrionibus, paraſitiſq; uidere eſt, quicunq; riſum dicendo captare tantum uolunt, non animum auditoris moderatè delectare. Cui uitio adiuncta eſt leuitas, adulatio, motus indecentes corporis, effuſus riſus, turpitudo, aliaq;
uitia

uitia homine liberali & graui prorſus indigna. Eadem præterea ſcurrilitas non in iocis tantum, ac dicterijs cernitur: ſed in uoce, geſtu uultu, inceſſu, ueſtitu, atq; adeò motu ipſo corporis. Nonnulli ita greſſus ſuos componunt, ac ſeſe uarijs modis effingunt, ut fabulæ cuiuſpiam perſonam ſuſtinere uideantur: alij properanter nimium, ac ueluti curſim incedunt, alij pedetentim, et gradu teſtudineo, quod fertur. Itaq; tot ſunt ſcurrilitatis modi, quot ea quæ riſum à ratione auerſum mouent. Quos omnes ſic uitare prudens uir debet, ut modeſtiæ repugnantes, conſtantiaq́; indignos. Hinc liquet, feſtiui hominis munus eſſe, non ad effuſam hilaritatem dicendi ſuauitate uti, ſed ad modeſtam iucunditatem: idq́; ut animus recreetur à laboribus, non licentia diffluat. Seruanda item eſt dictorum ratio, ne uel quenquam illis offendamus, uel ridicula nimis, & turpia illa ſint, potiusq́; lepôre & grauitatate quadam condiantur. Nec uerò apud quoſuis, aut quocunq; tempore ac loco iucundi eſſe debebimus: ſed apud eos duntaxat, quibus gratum id ſit, aut cum locus tempusq́; docent. Quorum omnium iudicium ratio ipſa indicabit: cuius ſententia conſilioq́; hæ feſtiuitatis cautiones dignoſcentur. Poſtrema modeſtiæ pars eſt ea quæ Græcis κοσμιότης, nobis autem Ornatus appellatur. Eadem uerò in corporei cultus moderatione uerſatur, mode-

ſtiæq́;

ſtiæq; adiũgitur: quoniã nõ in alijs tantũ rebus ſeruãda eſt uitæ moderatio, ſed in ueſtitu etiã cultuq; omni corporis. Finis uirtutis huius eſt decorum, quod in rebus ſeruamus: ſubiectũ aũt corporis ipſa cultura, quã ſi nimiũ affectemus, inornati (ut ſic dicam) erimus: ſi moderatè, ornati. Propriũ eſt ergo illius, perſonæ, dignitatis, opum, ætatis, loci, conſuetudinis rationẽ in cultu habere. Neq; enim infimũ ac plebeium hominẽ principis ornatus decet, nec id eius opes aut dignitas permittunt: nec ſenes etiam iuuenili cultu utentur, aut eo genere ueſtium quod aut loci aut gentis conſuetudo ignoret. Itaq; in omnibus ea moderatio eſt ſemper tenẽda, ut nihil contra decorum fiat, nihil turpiter aut leuiter agatur. Cõtraria eſt uirtuti huic ueſtium luxuries, nimiæq; ſordes: ut ſi quis uel admodum ſplendidè ornari, elegãtiæ laſciuiæq; cauſa uelit: uel ſi ſui adeò negligens ſit, ut neceſſario etiã cultui parcat. Certiſsima igitur horum uitiorum cautio eſt, ut ſic ueſtiũ ornamẽto utamur, ut culturæ corporis decẽti neceſsitatiq; cõſulatur, nihil ultra naturæ uim expetatur. Et quanquã nõnulli debeant propter dignitatis decorũ, exquiſitiori culus genere quã alij uti: concedẽdum eſt aliquid eorum perſonæ ac grauitati, ut in eo à reliquis inferiorib. ſegregẽtur, dummodò fines rationis nõ tranſeant. Eadem etiam ratione nec ij uitio ſordiciei notãdi ſunt, quicũq; pro-

pter uirtutem, ac Dei cultum, ueſtitu abiectiſſimò, ac nonnunquam ridiculo uti uoluere, uel eundem planè neglexere: quando eorum inſtitutum, ac finis propoſitus, diuerſum quoddam uirtutis genus ſequebatur, quod ornatui minimè repugnat. Hilarionem Aegyptium palmarũ folijs indui ſolitum fuiſſe ſolũ, ſcribit Hieronymus: nũ is inornatus, id eſt, uitio ornatui contrario fuit? Ioannẽ Baptiſtam cameli corio amictũ fuiſſe, ſacræ literæ docent: an is eodem uitio peccauit? Philoſophos etiam aliquos cultu uiliſſimo uſos, memoriæ mandatũ eſt: ut Anacharſim Scythã, Diogenẽ. nunquid ij uirtutis eius expertes, id eſt modeſtiæ, quã quærebãt, fuere? Hi ergo uirtutem aliam excellentiorem, quã illi, quos ſuprà cõmemoraui, ſequebantur: totiq́; ad Dei cultum, aut uirtutis actionẽ conuerſi, humana omnia ſpreuere. Nos aũt, qui communem hominum ciuilium moderationem, non illam perfectam deſcribimus, contenti ſumus eiuſmodi ornatus mediocritate, in eaq́; ponimus modeſtiam. Sed hæc ſatis de temperantiæ partibus.

De temperantiæ officijs. Cap 28.

SEquitur, ut de officijs eiuſdem diſſeramus, id quod in alijs uirtutib. fecimus: quãdo ijs cognitis, tota uirtutis huius actio intelligetur. Itaque quoniã in moderãdis cupiditatib. uera tẽperantia conſiſtit, potiſſimum eius officium eſt, naturæ uim agnoſcere,

agnoſcere, conſiderareq́; quātum ea poſtulet: reliqua, ut immoderata & uitioſa reijcere. Nam etſi naturales cupiditates, ut famam, ſitim, aliaq́; generis eiuſdē, ad uitā tuendam explere neceſſe ſit: caue re tamen oportet, ne modum excedamus, neuē pro naturali neceßitate luxu immoderato utamur. ut de Sardanapalo molliſſimo Aßyriorū rege fertur, qui poſtquā imperij ampliſſimi opes perdita luxurie cōſumpſit, hoc iuſſit ſepulchro ſuo inſcribi:
Hæc habui quæ edi, quæq́; exaturata libido
Hauſit.

Vera aūt moderationis huius ratio erit, ſi nihil rationi, Deiq́; præcepto repugnās cōmittatur, ſed naturæ ſemper modum teneamus. Nec uerò ſolum in corporis cupiditatib. cohibendis moderatio animi cernitur, ſed in alijs etiam, quæ rationem nō minus perturbant. Nā plus tibi tribuere, quā merearis, uel aliena rurſus magnificere, tuis neglectis, immoderatéue quicquā agere, tēperantiæ repugnat: cuius eſt propriū, in uitæ actionib. moderationem ſeruare. Quod non aliter effici poteſt, quā ſi Apollinis præcepto nos ipſos noſcamus: ut tanquā boni medici natura morbi perſpecta, curationē adhibeamus. Vnde Plato, uerā, inquit, tēperantiæ uirtutem eſſe hominē ſeipſum agnoſcere, nihilq́; ſibi aut amplius quā natura permittat, uēdicare, aut detrahere quicquā eorū quæ habeat. Porphyrius item Pla-

tonicus,nihil aliud in eo Delphici Apollinis oraculo,γνῶθι σεαυτόν id eſt noſce te ipſum,ſignificari nobis affirmat,quã σῶζε σωφροσύνην,id eſt,ſerua tẽperantiã. Quoniã uidelicet nemo uitæ modũ tenere,aut aſſequi uerã tẽperantiam poßit,quin ſe prius agnoſcat. Perſpecta igitur rectè cuiuſq; natura,congruentẽ deinde moderationẽ adhibeat,mitigetq; turbulentos animi motus,ſi nimiũ efferãtur: excitétue ſuppreſſos,ſi ad rectè agendũ quaſi ſepulti ſint. Qua in re fortitudinis præſidio opus eſt, quæ mollẽ ac depreſſam animi partẽ,quæ cupiditatibus rapitur,obfirmet,aut inſolentẽ temperet,ac reprimat. Qui enim ſe putat nimias cupiditates poſſe moderari, niſi ſeipſum ſuperet,errat profectò:cũ initiũ moderationis à propria uictoria naſcatur. Scipio Africanus Carthagine in Hiſpania expugnata,& à pœnis recepta, cũ inter alios obſides liberali forma uirginẽ Indibili cuidã, eius gentis nobili uiro deſponſatã,cepiſſet,nõ ſolũ eã minimè uitiauit,cũ iuuenis ac cœlebs,uictorq; eſſet:ſed integra etiã dote adiecta,ſpõſo eius reddidit. Itaq; initiũ tẽperantiæ eſt,ſi nos ipſos primùm moderemur,ac ratione ſuperemus. Ex quo illud præclarè M.Tullius, Nullã eſſe maiorẽ,inquit, uictoriã,quã ſe ipſum poſſe uincere,uirtutiſq; iugo ſubmittere: cũ in cæteris quidẽ uictorijs fortuna belli multũ ſibi uẽdicet,multum etiam milites, dux,opportunitas,

tas,conſilia:in hac aũt noſtra totum id uirtuti tribuatur,quodcunq; animi moderationem effecerit. Hinc illa perpetua corporis & animi cõtentio intelligitur: quæ tũ carnis,tum rationis & appetitus eſſe dicitur. Quæ ipſa tẽperantiæ ſolum uirib. cõparatur,rationiq; uictoria decernitur. Quocirca bene Plato,Tẽperantiæ,inquit,officium eſſe rationi appetitoriam animã ſubmittere, & quaſi pædagogũ huic præeſſe,ne temerè iactetur.Et quemadmodum pueri,qui ſunt natura intẽperãtes,blandè alliciendi,docendiq; ſunt,non plagis rigidè plectendi:ſic etiã cupiditates,quæ ex animi incontinẽtia naſcuntur paulatim moderandæ ſunt, quouſq; nullum in animo motũ excitent,non acriter extirpandæ,ne maiori ui excitentur. Atq; hæc breuiter de temperantiæ officijs dicta ſint.nunc ad eius contrariam,intemperantiam,tandem ueniamus.

De intemperantia. Cap. 29.

INtemperantia eſt uitiũ animæ appetitoriæ,per quod nimijs cupiditatib.præter modũ rationis indulgemus.Hanc putat Ariſtoteles ἀκολασίαν appellari,quaſi indomitã cupiditatẽ:quòd qui intemperãtes ſunt,cohibere cupiditates ſæpe nõ poßint. Sedes eiuſdem eſt anima appetitoria,nimium appetitionibus exultans:in qua moderanda, contraria huic uirtus uerſatur.Cauſa uerò,naturæ immoderatio quædã,uel ex corporis tẽperatiõe naſcẽs,uel

ex praua cõſuetudine, quæ plures quàm decet cupiditates ſæpe gignit. Quàm autẽ turpe ſit, ac belluinum hoc uitium, inde facile cognoſcetur, quòd tẽperantia nihil aut pulchrius aut ſplẽdidius accidere homini poteſt. Quemadmodum enim deformi corporis habitudine, ineptaq́; membrorum poſitione nihil eſt fœdius: ſic animi δυσκρασία, id eſt intemperie, nec turpius, nec ab homine alienius eſt quicquam. Quoniã præterea duabus in rebus cernitur intemperantia, uel ſi nimium cupiditatibus indulgeamus, uel ſi ab ijs planè abhorreamus: duo fiunt eiuſdem partes, ex quibus cæteræ aliæ naſcuntur, de quibus ſuprà diſputauimus in tractatione ſingularum temperantiæ formarum. Vna quidem eſt ea quæ ἀναισθησία, id eſt ſtupòr, aut ſi uerbum uerbo reddamus, inſenſibilitas nominari poteſt: altera, quæ θηριότης, id eſt feritas Ariſtoteli dicitur. Sed nos de priori parte diſſeramus. Stupor, ut Theophraſtus definit, animi hebetudo eſt, in dictis & factis. Alij neceſſariarumcupiditatum fugã à ratione auerſam eam definiunt. Propriè tamen eadem appellari ſtupor quidem ruſticus poterit, per quem ſine cauſa uoluptates ut malas aſpernamur. Nam qui appetitus cohibet, ut ratio finiſq́; uirtutum præſcribit, temperans eſt: qui uerò cupiditatem omnem, nulla facta diſtinctione, fugit, tantum abeſt ut ſit temperans, ut etiam communi ſenſu careat.

reat,

reat. Verùm hoc ſanè uitium rarum, ac naturæ noſtræ contrarium omnino eſt: quæ ſic amat uoluptate aliqua deliniri, ut ſi ea priuetur, uiuere nos diu haudquaquam permittat. Quo fit, ut eadem ſtupiditas quaſi alterum extremum in defectione uoluptatis poſitum cogitatione magis quàm re ipſa intelligatur. Siquidē uoluptas æquè omnibus innata eſt, atq; æque cūctorum animas tangit, cum nemo adeò tetricus & auſterus ſit, ut nullum uoluptatis ſenſum habeat. Hæc uerò ſtupiditas ad quācunque uoluptatis ineptam & auerſam à ratione fugam pertinet, ac nō minus latè patet, quàm ipſa uirtutis mediocritas, cum qua pugnat. Contraria huic eſt feritas, quæ in exuperātia uoluptatum poſita uitioſitas eſt. Quā ipſam τὴν θηριότητα Ariſtoteles appellat, quod nihil à belluis homines immoderati differāt, dū rationis neglecto cōſilio, præcipites in obiectam uoluptatē feruntur. Eſt aūt eadē cōmune uitium omnib. intemperantiæ formis: quoniam id habent reliquæ cum illa cōmune, ut nunquam rationi pareant, ſed appetitui indulgeāt. Ex quo liquet, omnem feritatē eſſe intēperantiā: nō tamen ediuerſò, quancunq; intemperantiam eſſe feritatē, cum eſſe multis modis homines intēperātes poſſint, nec ſint cōtinuò belluarū ſimiles. Veram ergo feritatem nō in eo, qui quauis cupiditate ducatur, ſtatuimus: ſed in illo, qui animi cōſueta quadam incōtinentia pru

*dens ſciensq́; laxat cupiditatū habenas,ſeq́; omnibus uitijs permittit.*Extat *huius uitij exemplum in* Philoxeno *paraſito,qui ſe cupere gruis collū habere dicebat,ut potionis ac cibi per gulā deſcēdentis titillationē guſtumq́; magis ſentiret.*Xerxes *Perſarū rex magnas opes oſtentādi cauſa,edicto ei præmium proponi iußit,qui nouū deliciarū genus,uoluptatisq́; modū excogitaſſet.*Tanta *eſt feritatis huius uis,ut luxuriem,oſtentationemq́; opū ſibi adiūgat.*Ergo *qui ſolā uoluptatē in omnib. affectat,qui cupiditati cuiuis indulget,qui demum libidinibus, luxuq́; omni diſſoluitur,is uerè ferus eſt,ac belluinus.*Vnde *acutè quidē* Homerus,Vlyßis *ſocios* Circes *ueneficijs in porcos,aues,leones,aſinos, aliaq́; genera animalium cōuerſos fuiſſe inquit,quod homines propter incōtinentiā belluarū ſimiles fiant, cum rationi etiam nō pareant.*Nec *mirum id eſt in quibuſdam,qui cum ex frequēti libidinis uſu cōſuetudinē inueteratam ſint adepti,uſq; adeò pertubato animo ſunt,ut ſæpe ignores, an aliqua ratione utantur in ijs quæ agant,an nulla.*Nam *ſi propriū rationis eſt,nihil turpiter et immoderatè agere:cōtrà uerò ingenij belluini,præſenti uoluptati ſeſe dedere:certè qui intēperans eſt,expers rationis quodāmodo,ſaltē cum agit intemperanter,dici poteſt.* Hæc *igitur ſunt,quæ de temperantia eiusq́; uitijs contrarijs afferri poſſe huc breuiter uidebantur.*

De

De uirtutum connexione. Cap. 30.

EXplicatis quatuor potiſſimarum uirtutum, prudentiæ, iuſticiæ, fortitudinis, temperātiæ generibus, eorumq́; formis: ut finem operi tandem imponamus, reliquum eſt, ut inquiratur, num inter ſe omnes uirtutes conſentiant, an differant: tum, an aliquando eaſdem inter ſe connecti neceſſe ſit: deinde, num ipſæ ſint æquales, an aliæ alijs præſtantiores: poſtremò, an omnes ad ſummum bonū æque referantur, an aliæ ſubijciantur alijs: ac, nunquid per ſe ſint ſatis ad hominem beatum efficiendum. Quæ omnia breuiter ordine propoſito declarentur. Virtutes omnes partim unā eſſe, quatenus ab una quadam animi bonitate naſcuntur: partim uerò plures quatenus diuerſis actionibus illa eadem bonitas accommodatur, ex tractatione ſuperiori conſtat. Siquidem actionis principio, fineq́; cunctæ uirtutes conſentiunt, dum ad idem bonum ſummum referūtur, et ex una animi honeſtate oriuntur. Differunt hoc tamen illæ, quòd ſubiectæ ſingularum actiōes, facultatesq́; animi, in quibus ſunt, uariātur, cū uirtutū ipſarū aliæ in cognitiōe uerſentur, aliæ in uoluptatibus moderandis, aliæ in metu cohibendo: id quod ſuprà demōſtrauimus. Quòd uerò generatim de omnibus aſſeueramus, inductione in ſingulis explicetur. Hoc cōuenit prudentiæ cum iuſticia, quòd utraq; rectus animi habitus eſt, utraq; uoluntaria,

utraq; ad ſummum bonum refertur, & ex animi bonitate proficiſcitur. Diſcrepāt *uerò ambæ, quòd prudentiā in ueritatis inquiſitione uerſatur, atq; in mente ſtatuitur: iuſticia ad æqualitatem ſocietatis humanæ pertinet, & ad omnes animi partes æquè ſeſe diffundit.* Item *fortitudo ac temperantia in eo cōſentiunt, quòd ambæ unum ad finem referuntur, quodq; ex recto animi habitu naſcūtur, & quòd in moderandis affectib. uerſantur, differūt, quòd altera in iraſcibili facultate collocatur, altera in appetitoria.* Eodem *quoq; modo reliquæ uirtutes genere inter ſe cōſentiunt, ſpecie aūt differunt, ut antea prolixe docuimus* Ex *hac mutua uirtutū conſenſione, ac diſſenſiōe quādo neceſſe ſit omnes ſimul copulari, aūt diſiungi, perſpicietur.* Nam *uel uirtutes perfectæ in aliquo ſunt, uel inchoatæ ſolū (perfectas aūt appello cōſtantes bonitatis habitus, animo iā inſculptos, quos* Heroicas *uirtutes appellat* Ar*ſtoteles: inchotas uerò actiones, ſine aliqua firmitate agēdi)* Si *perfectæ quidē ſint uirtutes, neceſſariò debent coniungi, imò nulla earum tolli omnino nequit, quin reliquæ tollātur omnes: cōtraq; nulla inerit cuiquam, ad quam cæteræ pariter nō accedāt.* Vt *ſi quis ſit uerè prudens, is iuſtus, fortis, ac temperans eſt.* Diuerſa *ratio eſt inchoatarum quæ cum animo inſculptæ firmiter non ſint, poſſunt quidem eſſe uiciſsim ſeparatæ: quoniā is qui ſemel prudēs,*

fortis,

ſortis,moderatúsue fuerit,nec earum ſit habitum adeptus,poteſt ſecundum aliquam ipſarum uirtutẽ rectè agere,nõ tamẽ proinde reliquas habebit omnes Proponatur excpli cauſa Iobus ille, quem Dei oraculo uirũ optimum fuiſſe cõſtat:certè cũ is patiẽs fuiſſe dicatur,uirtutes quoq; omnes unà habuit. Fuit enim in primis prudens,dum cõſilio magno eſt ſemper in calamitatib.proſperitateq; uſus,dum uxoris & amicorũ iurgia deſpexit,et obiectiões diluit. Fuit præterea iuſtus nõ ſolũ in Dei cultu ac religione,quã in media Idumæorũ impietate obſeruauit,ſed in ſuorũ etiã adminiſtratione. Fuit item fortis ac magnanimus,cum æquo animo ſummas calamitates pertulit. Fuit quoq; temperans,cum nec eũ dolor,nec ægritudo,nec pauperies,nec fortunæ cõmutatio nec morbus de gradu uirtutis deiecerit. Si ergo uiri huius,quẽ ſcimus perfectæ uirtutis fuiſſe, uitæ omnes actiones cõſiderentur,inueniemus profectò abſolutiſſimã uirtutũ omniũ imaginẽ in eius animo expreſſam. Cõtrà uerò in mediũ adducatur uel Socrat. uel Ariſtid. uel M. Cato:ij ſanè uirtutes quaſdã habuiſſe deprehẽdẽtur,alijs uerò prorſus caruiſſe. Nã Socrates modeſtus ac tẽperãs uidebatur, dum nihil ſe ſcire fatebatur,dũ nulli iniuriã reddebat:at interim ſibi multũ tribuebat,dum prætextu modeſtiæ aliorũ ignorantiã detegere conabatur. Id ipſũ in cæteris,quos retulimus,demõſtrare poſſumus,

mus, ſi uitã n eorudẽ ſpectemus. Quib. *ex rebus ne ceſſariò cõcluditur, tũ demũ inter ſe uirtutes copu lari, quando perfectæ ſint: contrà uerò ſeiungi, cũ inchoatæ, atq; imperfectæ.* Hinc *quoq; perſpicuum eſt ipſas uirtutes aliquando æquales eſſe, nonnunquam uerò inæquales.* Aequales *quidem in eo eſſe dicuntur, in quo ſimul omnes copulãtur, atq; æquè perfectæ ſunt: non tamen ita, ut aliæ dignitate, actio nisq; ui alias ſuperare non poßint: ſed quod in eo, cui inſunt, æquales faciant prouentus, quodq; ſimul incremẽta ſuſcipiant.* Neminem *enim perfectè iuſtum fingemus, quin prudentiam, temperantiam, fortitudinem, uirtutesq; omnes perfectas in eodem inueniamus: quamuis earum aliqua ipſe frequentius utatur, quàm alia, in eáq; magis excellat.* Sed *nos æqualia bonitatis incrementa ſtatuimus, non uim æqualem, nec actiones æquales, nec præſtantiam æqualem: cum in alio magis excellat alius, quàm in alio.* Inæquales *demum uirtutes ſunt inchoatæ, atq; adeò omnes quæ alijs aut ſubiecto, aut origine præ ſtiterint: ut prudentia temperantiæ, fortitudini iuſticia.* Siquidem *illarum actiones, ſunt harum actio nibus digniores.* Reſtat *nunc explicandum id quod quarto loco poſuimus, nunquid uirtutes omnes ad ſummum bonum æquè referantur: an ita ſint inter ſe affectæ, ut aliæ ſubiectæ ſint alijs.* Ad *huius rei ex plicationem animaduertendum eſt, uirtutes quaſdã*

ad nos

ad nos tantum referri, alias uerò ad ipſam fœlicitatis adeptionem. Ad nos quidem eæ referuntur, quæcunq; ad externum hominis cultum ſpectant, ſubiectæq; alicui ſuperiorum quatuor generum ſunt: ut amicitia, feſtiuitas, ornatus, comitas, cæteræq; huiuſmodi uirtutes. Ad ſummum uerò bonum illæ pertinent, quæ in ſolum Deum tendunt: cuiuſmodi ſunt ipſa quatuor uirtutū genera. Itaq; ut formæ omnes primò ſub mediū aliquod genus, deinde ſub communius aliud cadunt, ſic etiā uirtutes particulares ad genera communia referuntur, ipſa uerò genera ad extremum bonum. Id aūt quod à nobis ſimilitudine hac obſcurè dicitur, propoſito exemplo apertius intelligetur. Ponatur ante oculos ornatus, feſtiuitas, ars, ſcientia, ſolertia, gratitudo, ac demum ſingulares aliæ uirtutes: hæ profectò per ſe ad ſummum bonum non ſpectant, ſed per alias communiores, quibus ſubijciuntur. Siquidem nemo feſtiuus, aut gratus, aut doctus, aut ornatus eſſe propter ſummum bonum dicitur, ſed ob aliam communiorem uirtutem: ut temperantiam, iuſticiam, prudentiam. Contrà uerò nullus prudens, iuſtus, temperās, fortiſue propter honeſtatem ipſam duntaxat eſt, ſic enim uirtus eſſet bonum extremū, ſed diuini obſequij cauſa, in quo eſt uera fœlicitatis expectatio. Qua ex re etiam quæſtio illa difficilis, initio à nobis propoſita, & à multis agitata,

naſcitur.

naſcitur. Nunquid per ſe uirtus ſola ad hominem
beatum efficiendum ſit ſatis? in qua equidem per-
multos magnos uiros diſcrepare uideo. Nam Cice-
ro, & cum eo Stoici omnes, uirtutem aiunt ad bea-
tè uiuendum eſſe ſeipſa contentam. Contrà Peri-
patetici id negant, aliaq; potius felicitati adiungũt:
ut corporis & fortunæ bona. Plato uerò in eadem
ferè, in qua Cicero, ſententia eſt. Itaq; in hac diſſen
tientium philoſophorum dubitatione, ſententia no
ſtra in medium proferenda eſt, quæ ut uerior, ita
præcedenti tractationi de fine bonorum eſt con-
gruentior. Quemadmodum in ſuperioribus uirtu
tes nec natura nobis, nec facultate ſolum noſtra in-
eſſe docuimus, ſed partim Dei munere, qui noſtros
animos ad bonum allicit: partim uerò noſtra facul
tate, & agendi ui acquiri: ſic beatitudinem non no
ſtris tantum meritis. ſed eiuſdem quoq; Dei benefi
cio concedi putandum eſt. nam ſi ad uirtutes acqui
rendas diuino quodam fauore prouocamur, e[illegible]
aſpir[illegible]e probi ſumus: eodem quoq; munere fœli-
citat[illegible] nobis tribui, dubitari n[illegible] eſt. Nec ta-
men propt[illegible]a noſtrorum meritorum ratio nulla
habetur, cum nemo eſſe beatus poßit, quin prius be
atitudine dignus pro meritis iudicetur: ſed quoniã
eius qui donat fœlicitatem, liberalitas, ad noſtra
merita adiungitur, utroq; modo beati efficimur.
itaq; non noſtra ſolum merita per ſe ſunt ad bea-

titudinem acquirendam ſatis,ſed Dei præcipuè beneficium adiungitur,quo ab eo rectè agendum inuitamur:rectèq; agendo iuſti efficimur, ſicq; æternam fœlicitatem conſequimur. Quapropter Dei afflatu concepto,& ad uirtutes prouocamur,& ad ſummum bonum inuitamur:non noſtra merita per ſe ſatis ad id ſunt,quæ etiam bona quidem eſſe aliquando poſſunt,nec tamen ſummum ad bonum referentur. Quemadmodum uel ſine Dei impulſu multis per ſe inſunt uirtutum habitus, nec ij ſunt aut Deo grati,aut ad finem bonorum acquirendū accommodati,cum ueræ pietatis ac fidei expertes ſint Huiuſmodi fuere multi antiquorum hominū, probi quidem illi,ac moribus ſanctiſſimis prædi-ti,ſed ueræ religionis ignari : ac proinde uirtutum uerarum actione , ueræq; fœlicitatis adeptione uacantes.

ETHICAE PHILOSOPHIAE Compendij, Finis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPITVM ETHICAE philoſophiæ compendij Cornelij Valerij, Index.

I. De ethicæ fine ac partibus. Pag. 1
II. De fine hominis, ac ſummo bono. 6
III. De affectibus. 11
IIII. De amore. 15
V. De deſiderio & ſpe. 16
VI. De lęticia. 17
VII. De odio, ira, & cognatis affectionibus. 18
VIII. De triſticia. 22
IX. De metu. 23
X. De audacia. 24
XI. De uirtute, & eius diuiſione & origine. 25
XII. De prudentia. 31
XIII. De œconomica. 37
XIIII. De politica. 44
XV. De uitijs prudentiæ contrarijs. 52
XVI. De iuſticia. 54
XVII. De partibus iuſticiæ. 56
XVIII. De ſex iuſticiæ partibus à Cicerone poſitis, earumq; uitijs 59
XIX. De pietate. 61

D De

